




**Ad Petri Carpenterii Famelici Rabulae saeuum de retinendis  
armis & pace repudianda consilium, Petri Fabri responsio. Ad  
V.C. Lomanium Terridae & Sereniaci Baronem.**

<https://hdl.handle.net/1874/430123>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>


**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

**K** oct.

**68**

U.B.U.




1000  
1000

1000

68  
U.P.C.







Handwritten text at the top of the page, likely bleed-through from the reverse side.

68

Handwritten text in the upper middle section of the page.

Handwritten text on the left side of the page, possibly bleed-through.


Handwritten text in the middle section of the page.


Handwritten text in the lower middle section of the page.


Jurisprudencia Theoretica  
Octavo n.º. 68.

Handwritten text in the lower section of the page, likely bleed-through.

Vertical column of handwritten text on the right side of the page, likely bleed-through from the reverse side.







N III. a

AD PETRI  
CARPENTERII  
FAMELICI RABVLAE

ſæuum de retinendis armis  
& pace repudianda  
conſilium,

PETRI FABRI  
*reſponſio.*

*Ad V. C. Lomanium Terridæ &  
Sereniaci Baronem.*

*EX dono Büchely*

NEVSTADII.

1575.



AD PETRI

GARPHENTRII

HAMELICI RASVIAE

Sancti de vestimentis

et speciebus

continent

PETRI RASVIAE

responso

Ad V. C. Benjamin Trübke

Secretarius

EX dono

NI VSTADII

1773



AD  
PETRI CARPENTERII

FAMELICI RABVLAE

ſæuum de retinendis armis

& pace repudianda

conſilium,

PETRI FABRI

reſponſio.



Illa Dauidis ſententia V. C.

Lomani, mihi Epiſtolam

P. Carpenterij ad te ſcri-

ptam legenti ſæpe in men-

tem venit,

*Sponte qui prauis ſtudijs inheret*

*Sit procul ſæui ſcleris miniſter*

*Candidos nunquam mihi cenſeatur*

*inter amicos.*

Quæ ſi apud alium vllū, certè nunc  
apud te valere plurimū debet. Quan-  
quā enim nō dubito, quin ea ſit ingenij  
tui acies & perſpicacia, quę amicū ab  
aſſentatore, & mercenariam linguā ab  
ingenua & libera poſſit diſcernere, quia  
tamen ſpecioſo illo pij & Chriſtiani cō-  
ſilij nomine quaſi telo quodā lethale  
cōſciētij tuæ vulgus inſligere conat̄, cō-  
magis mei duxi eſſe officij q̄ & te diligo,  
& ab omni animi errore liberatum eſſe



te cupio, quales hæc sint insidiæ, breuiter exponere. Nec enim vel ille ipse, quantumuis veterator, negabit quin cum hæc scribit, velut turdus lumbricū, id est, mercedem petat. Et quanquam in numero piorum censeretur, meminisse tamen debuit illud, quod habet prouerbum vetus, Aliter catuli olēt, aliter fues. Ergo nec te amici, qualis iste videri vult, nec Iurisconsulti & prudentis hominis, quod sibi temere arrogat, professio moueat, vt insanis consilijs acquiescas: sed etiam atque etiam apud te perpende consiliumne potius, quam lenocinium, admonitiōne salutaris, an non potius periculosa inuitatio tota hæc istius oratio dicenda sit, illi fraudi non admodum dissimilis qua tam multi boni viri illecti, in illam Bartholomeiam carnificinam inciderunt. Nec verò, quis qualis sit Carpenterius ignorare potes, cuius & lingua venalis, & vita turpis, & fama apud bonos omnes inauspicata ab eo die fuit, quo Christi non tantum se proditorem, sed etiam persecutorem ostendit, qui cum se ab assentationis vitio longissimè omnium mortalium

mortalium abesse profiteatur, cum in  
 hac Epistola nihil ad alterius gratiam,  
 nihil mercede redemptum, nihil cuius  
 quam imperio vel rogatu inductum  
 scripsisse tam sollicitè affirmat, consci-  
 entia suæ stimulos prodit. & quid ex su-  
 periore ipsius vita, & miserabili illa sua  
 ad Franciscum Portum Epistola rectè  
 pij christianiq; omnes iudicarent, intel-  
 lexit. Sed cui persuadebit Iurisconsultus,  
 ne ex iuris ipsius regulis semel ma-  
 lus in eodem genere mali præsumatur  
 malus, maximè cum eadem lucris spes,  
 eadem pacta merces, eadem quæ antea  
 planè aucupandæ potentia, gratia  
 occasio oblata sit? Equidem qui res  
 ut sunt humanæ, apud me antea cogita-  
 bam, priori istius hominis culpæ & cri-  
 mini æquior eram. Quanquam enim  
 plerisque inexpiabile piaculum videba-  
 tur, quod non tantum è castris Christi  
 transfuga factus esset, sed etiam Alci-  
 mum illum de quo est in libris Macha-  
 bæorum, imitatus, Dei populum insi-  
 dijs calumnijsq; grauißimis oppugnaßet,  
 sic tamen excusabam. Exterritus  
 metu tanti, tamque repentini periculi

*1. Mach. 7*

*v. 23.*

Carpēt. id fecit: fame malesuada impul-  
 sus & coactus pauper Iuriconsultus lin-  
 guā vendidit. Nā, vt ait ille, ærumnam  
 multiplex exercitā habet paupertas: vbi  
 se impleuerit, seq; confirmauerit, eadē  
 iterum non committet. Sed ecce iterū  
 Crispinus, mōstrum nulla virtute redē-  
 ptū à vitijs. Adeo vt iam de homine pla-  
 nē sit inter omnes bonos desperatum.  
 Quē in viā reducere nō conabor (quid  
 enim laterem lauem) sed eius tamen ar-  
 gumentis quam potero breuissime, nō  
 illius quidem libri autoritate commo-  
 tus (quid enim aliud ille continet, quā  
 toties iam repetitas nugas & calūnias,  
 centies depulsas, recoctam & repositā  
 crambem, quæ etiam istorum furorum  
 auidissimis hominibus nauseam tamē  
 moueat?) sed in tuam gratiā respōdebo,  
 vt intelligas, Lomani, quā iustē in par-  
 tibus nostris nō tantum fueris, sed etiā  
 in iisdem manere debeas. Enimvero mi-  
 hi P. Carpenterij scriptum volutāti mi-  
 rum valdē visum est, quōd homo tam à  
 bellis alienus, epistolę suę primā eamq;  
 longissimā partē perpetua quadā meta-  
 phora à reb. bellicis sumpta, tāquā pue-  
 rilis

rilis quidam & otiosus declamator per  
 sequatur, ita scilicet iura veterū Rom.  
 fecialia omnia, veteres ordines, militū  
 nomina, habitum, præcepta & leges ca-  
 strenses, deniq; veterē castrorū metādo-  
 rū rationem, non eam quidem diligēti  
 lectione animaduersam, sed ex Coterel-  
 li & aliorū huiusmodi scriptorum indi-  
 cibus descriptā, ad Christianā religionē  
 homo pacificus traduxit, qui si bella tā  
 infestē odit, cur obsecro, nihil nisi belli-  
 ca vocabula crepat? Vtitur nonnunquā  
 scriptura sacra bellorū similitudine, erit  
 ne propterea ex Vegetij scriptis de Mili *pag. 7.*  
 tari disciplina euangeliū explicandū, & *pag. 15.*  
 Christus calo, vel lixa appellandus, Apo *pag. 20.*  
 stoli milites prætoriani, cœlum Bellonæ  
 deæ tēplum nominandū? Sed Christū  
 ita ab homine transfuga vocari non mi-  
 rantur ij qui sacrosanctū D. N. Iesu Chri-  
 sti euangeliū ab eodē Thalmud Sabau-  
 diacū in priori Epistola dictū memine-  
 runt, & qui in hac ipsa legunt audiūt q̄s  
 æternū Dei filiū Gradino Marti, & Poe-  
 tarū Herculi, vt pulcherrimè cōferri, tā  
 bene scilicet in Rom. schola in quanūc  
 versat, de Christo sentire & loq̄ didicit

8

Carpenterius. Mirum verò ni eundem Christum cum Dionysio & Baccho cõparet, quia & ille bella gessit aduersus Indos quemadmodum & Hercules.

Quid igitur? Laudem nominisq; commendationem aliunde captat homo astutus. Cum enim inter iurisperitos Gallos parum se probari iam ex illo triennio, quo à fide defecit, cognouisset, periclitari maluit, numquid plus in iure militari, & inter huius ordinis tanquam ingenij obtusioris homines obtinere posset. Itaque magnum se ducem, sed chartaceum & imaginarium ostentat, vsurpatis & repetitis à veteri Rom. disciplina vocabulis quibusque antiquissimis. Sed falleris Carpenteri. Nec enim iam illa in vsu sunt, nedum res ipsæ adhuc vigeant, & quæ secuta est hominũ ætas noua omnia peperit, vt ars ista tua etiam tuis prodesse iam non possit amplius. Sed vt scias C. Lomani, quantum breui tempore homo antea hominum (id quod omnes norunt) ignarissimus, profecerit, non iam modò Carpenterium hominem militarem habes, sed etiam aruspicem, grãmaticum

maticum, priscorum verborum interpretem, denique prophetam etiam, qui quæ futura nobis sunt, furore quodam abreptus vaticinetur. At qui vereor ne hic idem & in bona causa præuaricator, & in propria tergiuersator, & regius assentator, & Christianorum calumniator tota sua Epistola deprehendatur, ut omnia & sit & sciat, quod videri maxime videtur velle. Iam igitur ex quo tempore Carpenterius Aulicis innotuit, obsecro te, Lomani, quis est Carpenterius

*ede quid illum*

*Esse putes? Quemuis hominem secum attulit, atq; est*

*Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor aliptes,*

*Graculus esuriens in cælum iusseris ibit.*

Qui utinam cæteris artibus, quas ne summis quidem labris vnquam attigit omissis, præter vnâ rabulariam artem vel Grammatica præcepta feliciter didicisset. Denique ut se nouo regi aliquo nouo scelere audax homo commenderet (id quod plerique huius ætatis & cõ-

scientiæ homines faciunt) & vt aliquã  
 ad Parisiensem senatum viam sibi para-  
 ret, ista est ausus. Humana sunt, leuia  
 sunt pro tēpore, & tritum iam hoc est  
 iter ad opimos magistratus & honores  
 in Gallia ambiendos, si quis quacunq;  
 ratione in homines pios debacheretur, si  
 rebelles, si perfidos, si atheos, si nefari-  
 os appellet. Hęc à suis zelosisq; mona-  
 chis bonus deuotusq; auditor didicit  
 Carpenterius, quemadmodum ex eorū  
 ipforum magna missa elegans illud lo-  
 quendi genus singulis penè paginis in-  
 culcatū, & itaque, siue, & ideo. Sed age  
 omissis istis, rem ipsam aggrediamur, &  
 quale sit, quanti que momenti hoc istius  
 consilium videamus. Tota, inquit,  
 res militaris pugna, fuga, pace contine-  
 tur. Ineptè. Prætermissum enim est qđ  
 & præcipuum est, & sæpius incidit, ni-  
 mirum induciæ. Quis enim neget in  
 bello non tantum pugnam, & fugam,  
 sed etiam inducias fieri, quæ sæpissi-  
 mē necessariae sunt, & de quarum iure  
 fuit homini vniuersum ius militare tra-  
 ctanti dicendam? Sed prætermisionis  
 hæc fortasse ratio est, quòd nullas no-  
 biscum

biscū paciscendas homo pacificus inducias putet. Atqui nec pacem nobiscum esse vult. Cur igitur meminit pacis? Quanquam & hoc ipsum absurdū videri potest, pacem inter militaris & bellicæ rei præcepta & partes numerari, cum statim atq; pax conuenta est bellum & militia esse desinat, nisi forte partem morbi cōstituat sanitatem. Sed ne seuerè nimium, Lomani, cum tanto Iurisconsulto agamus (nobis enim fortasse sui iuris regulis præscriberet, inter quas etiam est illa, Omnis in iure etiā militari definitio periculosa est. Rarū est enim, vt subuerti nō possit.) Ergo prætermiſſis repudiatisq; inducijs, quæ ex ipsius cōsilio nullę nobiscū sient, ac ne pacis quidem (est enim pacis non modo incundæ dissuasor, sed etiam cœptæ perturbator Carpenterius, tam parū nimirū patrię ruētis miserijs tangitur homo extraneis & peregrinis hominib. totus addictus.) quid de pugna sentiat audiam⁹. Negat homini christiano fas esse pugnare in persecutionib. q̄a etsi in veteri testamēto legūtur armorū strepit⁹ & tuba, quę ad bellū & vindictā incēdit,



in nouo tamen testamento & per Christi prædicationem ea siluit. Nec sunt illæ res à Christianis in exemplum trahendæ, quia noluit Christus suos præiudicijs & exēplis veterum patrum rem militarem tractare & vindictam exercere. Denique in ea re longum discrimē esse inter veterem Mosis & nouā Christi legem, quam nunc sequi debemus. Hic nobis, Lomani, paulisper consistendum est, vt orationis aciem opponamus, & intelligatur quibus in persecutionibus pugnare vetitum sit, in quibus non, ex quo infinitorum argumentorum, quæ ille robustissima esse putat, solutio apparebit. Vetat quidem Christus malum pro malo reddere. Iubet Petrus vt in persecutionibus patientes simus. Quid ergo? Nunquàmne propulsanda erit iniuria ab homine Christiano, quæ illi inferatur? Quid si in syluis à latronibus impetatur? Non licet igitur illi seipsum tueri & pugnare, & vim, quæ infertur, repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ? Non negabit forsitan Iurisconsultus, qui id ipsum in legibus suis positum habet l. i. c. vn-

de

devi. Nam qui ad huiusmodi euenta  
 dictum Christi transferunt, planè illud  
 peruertunt, & hallucinantur grauitè,  
 quando Christus in discipulis suis non  
 reprehēdit, quòd haberēt duos gladios  
 quos in via ad sui tutelā secum ferrent. *LUC. 22.*  
 Quid si patria ab hoste opprimatur, an  
 non licebit Christiano sese hosti irruen-  
 ti opponere, atque etiam pugnare, quia  
 malum pro malo reddere non debet,  
 & cum affligitur iubetur esse patiens?  
 Quòd si licere neget Carpenterius, nō  
 modò se proditorem ostendet, sed etiā  
 in grauissimum errorem inducet cæte-  
 ros. Non omnis igitur, Lomani, pugna  
 est vnius generis. Pugnae enim nomen  
 latissimè accipimus, sed vt breuiter di-  
 catur, est illius genus duplex. Vnum  
 quidem quod priuatæ vindictæ causa  
 suscipitur: alterum quod iustè vel no-  
 stri tuendi, quatenus id leges ipsæ con-  
 cedunt, vel Reipub. & eius in quo ver-  
 samur regionis & regni gratia geritur,  
 id est, in quo publicæ salutis iusta def-  
 ensio posita est. Illud igitur prius ge-  
 nus quod est vindictæ & Christus, &  
 Apostoli, & nos damnamus. Hoc po-

sterius, quod est iusticiæ, & Christus, & Apostoli probarunt, & nos quoque probamus, licereque homini Christiano defendimus. Cuius nostræ sententiæ probationes, si quis requirat, afferentur infinitæ. Sed quid vel ipse Carpenterius pro se & suis aliud afferre potest, ut iusta esse eorum arma, & ut ipse loquitur, pugnas demonstrat, quàm quòd ipsi regni tuendi causa se cœpisse arma, & nunc quoque retinere dicent? Ergo regni Reique publicæ conseruandę gratia, Carpenteri, licet etiam Christianis hominibus pugnare, arma tractare, bella suscipere, & non modo clypeum, quod solum tu veris Christi militibus relictum esse vis, sed etiam gladium sumere & stringere sub euangelio. Neque tua inter legis, veterisue testamenti tempus, & noui testamenti Christi-que doctrinam distinctio te iuuare potest, aut nostram hanc sententiam conuellere, nisi sis ex Marcionitarum, Manichæorū & nostri temporis Anabaptistarum hæreticorum grege, qui cum alium veteris, alium noui testamenti Deum facerent, illum bella hominibus

bus permisisse, hunc vetuisse docue-  
 runt. Itaque prorsus interdicta esse  
 Christianis hominibus bella. Idem ve-  
 rō vtriusque testamenti Deus est, ea-  
 dem Dei mens, & iustitia eadem, vtro-  
 que testamento iniquitas iniustitiaq;  
 eadem semper damnata. Itaque quæ  
 Deus in veteri testamento bella esse &  
 geri concedit, idem quoque fieri in  
 nouo foedere permittit. At enim, dices,  
 etsi pro republica bella suscipi possunt,  
 à quolibet tamen iuste non possunt.  
 Expectandus enim est Principis & pote-  
 statis, cui illa paret, iussus, quem qui  
 preuenit & anticipat excusari non po-  
 test, cum vel vno Manlij filij exemplo  
 doceamur, ne in hostem quidem pro-  
 uocantem iniussu imperatoris dimi-  
 candum esse. Hæc vera sunt Carpen-  
 teri, vbi & quando suis legibus admini-  
 stratur Resp. vt tunc Romana: nec pu-  
 blicarum legum vis & autoritas oppres-  
 sa paucorum nominū tyrannide iacet,  
 cum Regnum, Regnum est: & Resp. ad-  
 huc manet Resp. At cum publicis regni  
 legibus, vbiq; violatis manifesta iniuria

pro iure, sæuissima tyrannis pro regia  
 administratione grassatur, qualis nunc  
 est rerum status in Gallia cum nulli ho-  
 minum ordini ex eo pacto, quo se pri-  
 mum illi potestati subiecit, quodq; lex  
 regni dicitur, agere licet, tunc verò, quis  
 eius potestatis, quæ rempublicam ip-  
 sam oppressam, & euersam cupit, iussu  
 vel sequi, vel expectare, si modo sit a-  
 mans patriæ, tenetur? Hoc enim debui-  
 sti ex eadem Rom. historia didicisse,  
 quæ Halam Seruiliū & P. Nasicam &  
 alios hoc nomine commendat. Tunc  
 igitur ipsos Reip. regniq; ordines vel  
 vniuersos, vel singulos, vel omnes, vel  
 eorum partē labanti patriæ succurrere,  
 ruinamq; eius sistere & legum iuris-  
 que publici violationem (quod faci-  
 mus) reposcere oportebit, & se ad eam  
 partem quisque ciuis amicæ sa-  
 lutis adiungat necesse est, quanto ma-  
 gis quisq; Christianus est, tanto arden-  
 tius, citiusq; ad eam partem occurret,  
 constantius in ea perseuerabit, deniq;  
 pientius fortiusq; in ea parte pugnabit,  
 pugnabit, inquā, Carpenteri, quicumq;  
 rempublicam saluam, restitutamq; cō-  
 tra

tra manifestam aliorum vim & iniuriã esse cupit. Hæc quia vera sunt, Lomani V. Clar. & iam doctissimorum Theologorum disputationibus, vt tu non ignoras, confirmata, in ijs corroborãdis nõ hæreo diutius. Quorsum enim certis legibus, certisq; conditionibus sibi quisque populus vel vnum, vel paucos viros bonos, vel ipsam totius multitudinis autoritatem imperare voluit? Quorsum in quaque administranda publici hominum coetus forma cõstituta sunt, certa quædam remedia, ordines, vel status regni & Prouinciæ, vel Ephori, vel Tribuni, vel capitones, vel alio nomine, qui essent publici iuris custodes, nisi quòd ijs legibus violatis & oppressis, nec regnum, nec Remp. nec popularem statum esse, illud ipsum homines agnoscunt, quod primum sibi delegerant: nec iam esse eam potestatem, cui se primum subiecerant. Itaque non est, Carpenteri, de eo nobiscum litigandum, Vtrum iustè, piè, sanctè à Christianis vnus alicuius regni, Reip. vel popularis administrationis ciuibus, popularibus & indigenis hominibus pro pu

blicis istis legibus & pro pacto atque iure hoc (quem statum regni, quod in eo totius regni salus, & incolumitas sita sit, vulgo nominamus) tuendo, conseruando, repetendo pugnetur & dimicetur etiam armis, quando omnis alia eius iuris obrinendi ratio, aliorum improbitate, & potentia præclusa vel adēpta est. Nec enim si de ea re nobiscum contendes, vinctes in hac causa quantumuis magnum Iurisconsultum inter tuos haberi te somnies, vel licet nobis ex antiquissima militariū ordinum nomēclatura quiduis reponas vinceris, & hīc tergā illam tuam obscōnā, quā dicis, facies, nec te castrensis, quam vocas, musica, nec, Draconarij, nec imaginiferi milites tui satis deffendent. Cades, & iam non de pugna, sed de apertissima, quam alijs consulis, fuga ipse cogitabis. Habes igitur, Lomani, cur & quādo homini Christiano pugnare liceat, vides quæ distinctio adhibenda sit. Quam nisi me fallit opinio, non modò nunc comprobabis, sed etiam in perpetuum sequere. Atque hæc vna Carpen-  
 terio opposita velitatio tota eius castra  
 fundit,

fundit, fugatque, munimenta eius sub-  
ruit, aggerem euertit, vineas conscidit,  
murices, ceruos & taleas euellit, vt tu-  
tò iam & inoffenso pede ipsum aggre-  
di, & cum nò modò leui clade multare,  
sed castris etiã impedimentisq̃e omni-  
bus exuere possimus. Sed fortasse ne-  
gabit, est enim vt hominem apprimè  
noris effrons, & ἀγορᾶς πρετερομια Car-  
pēterius, eū esse Galliaē siue Franciaē sta-  
tum, in quo leges regni oppressę, ius il-  
lud publicum violatum, & pacta illa re-  
gni constituendi caussa primum con-  
uenta læsa sint. Vtinam vero, Lomani  
atque iterum dico, vtinam. Quis enim  
tam est Francorum genti quãuis olim,  
quidem humanissimæ, nunc autem ex  
paucorum disciplina, sæuissimæ inimi-  
cus, vt tantum illi bonum inuideat, &  
tranquillum statum non exoptet, & mo-  
rem illum maiorum in ea regnare & ob-  
tinere, non valde, & ex animo quidem  
lætetur? quarum legum æquitate non  
modo Franci ipsi aliquãdo tuti & quie-  
ti vixerunt, sed etiam quarum exem-  
plum & auxilium vicinæ gentes implo-  
rantes, imo verò etiam externi populj



& remotissimi secuti incolumes perstiterunt. Ac fuit tempus illud cum à Frācis nostris & publicis illis legibus omnis iustitiæ & æquitatis, moderatæ politiæ & humanitatis regulæ & exempla ab externis Regibus peterentur. Nunc verò quid à Francis tuis, Carpenteri, nisi truculentiæ, immanitatis, feritatis, perfidiæ rerum omnium perturbationis nocentissimæ exempla & præcepta queri dariue possunt? Vnde verò tanta rerum & humanitatis & æquitatis immutatio in ea gente facta est? Non equidem ex publico illo statu & iure conseruato, sed violato, non ex antiquis maiorum nostrorum moribus in Reipub. nostræ administratione seruatis, sed repudiatis, læsis, oppressis. Quod verum esse vniuersa ipsa Francia clamat: imo vociferatur: in qua ita omnia propter statum Regni violatum, perturbata, euerfaque sunt, vt nulla prisca illius maiestatis vestigia supersint. Quod si non sentis & vides, Carpenteri, nihil neque sentis, neque vides. Quid autem tibi, Lomani, eius rei exempla proferam, quam vides ipse, & quam miserrimus Franciæ nostræ

stræ status luce meridiana clarius probat? Denique ne toties de iisdem rebus dicatur, vel vnus de Francogallia libellus (quem te legisse non dubito) liquido & abundè rem totam, quam nunc agimus, confirmabit. Itaque vt rem in pauca conferam. Cum Franciæ nostræ ordinibus vniuersis vel eorum parti liceat sese paucorum tyrannidi opponere, leges patrias & auitas quibus se tanquam mutuis pactis & conuentionibus subiecerunt Regibus, cum eas, inquam, liceat antiquatas repetere, cum pro ijs violatis pugnare, cum ius publicum tueri, quis dubitet quin meritò, legitimè, piè, & sanctè non modo Christiani homines, sed & omnes tum indigenæ tum extranei qui tam florentis olim Regni, & nunc tam miserè labentis & vexati sensu & misericordia tãguntur aduersus istos patriæ parricidas & perduelliones armentur? Atqui vtinã oculos Dominus ijs daret qui per vim hodie plurimum in Francia possunt, & possent cernere propinquum eius casum & calamitatem, eamq; mentem in Franciam & vel nunc saltem tanto ma

lo mederi vellent, vel ijs qui ista mala proxima vident, eā potentiā, vt à Francorum ceruicibus tantum periculum arcere facillimè possent: Certe ijs malis quibus nunc pene mergimur eriperemur. Sed tam grauia Dei iudicia peccata nostra merentur: & hæc non Dei sed nostra est culpa. Itaque cum & quando homini Christiano pugnare sana conscientia liceat dixerimus, cum publicum totius Franciæ statum miserimè turbatum docuerimus, cum ius publicum violatum ostenderimus: restat vt te in partibus nostris & in hoc ipso bello (Lomani) recte esse & pugnare nobiscum posse intelligas, teq; in eo cōfirmes. Age vero præterea ne te versipellis istius rabulæ fraudes à tam sancta & pia sententia abducant, singulis eius argumentis respondebo. Ac primū quidē in tota hac epistola grauissimè turpissimèq; hallucinatur, dum quæ de priuata nostri vindicta passim à sacra scriptura dicta sunt, vel quæ sunt à priuatis hominibus gesta temere ad nostrā hanc causam transfert, in qua non priuata vltro, sed publica Reip. salus agitur, & quā nō priuati

priuati sed partim Regionū edictorū auctoritate fulti, partim omnium toti<sup>9</sup> Fræcię ordinū & statuum iure tuti suscepimus. Sed quid faceret Rabula veterinosus, & cauidicus famelicus, nisi tenebras oculis hominū offunderet, & fortiter mētiretur? Atq; hic Iuriscōsultus si tā turpiter tamq; ineptè in hamanarū legū interpretatione versatur, quàm in diuinarū explicatione vanus est, ne nullo vnquā homini se Iuriscōsultū esse facile persuadebit. Sed illud ex more facit. Iā enim eò deuentū est, vt nō plus possit in syluis audacia quā in foro & scriptis istorū impudētia. Sed Carpē. audiamus. Christus noluit suos rem militarē, ait, tractare, etsi veteri testamento id concessum fuit. Hoc autē quid aliud est, obsecro, quàm vt supra etiam attigit Marcionitarū hęresin tanquā ius vetus recuperare, & vetus testamentū velle contrarium esse nouo? Deum legis aduersantē Deo Euāgelij? Cur igitur per Euāgelij præcones inter fideles piosq; recensentur qui effecti sunt Robusti in bello, & *Heb. 12. exercitus in fugam verterunt? At in- ver. 34.* quit Carpenterius, idē Christus noluit

Apostolos suos in Samaritanos vindic-  
 tã contempti Euangelij exercere. Quid  
 mirum? Quãdoquidem Christus tunc  
 non venerat vt iudicaret, id est magi-  
 stratus munus in carne exerceret, sed  
 vt iudicaretur. Itaque nec discipulos  
 Apostolosque misit, qui Gentibus do-  
 minarẽtur, exercitus ductitarent, & bel-  
 la quæ vocat scriptura carnalia gererẽt,  
 sed bellorum spiritualium illi tantum  
 designati sunt duces, per quæ omnem  
 sublimitatem quę aduersus Christum  
 extollitur deſciunt, non armis carnali-  
 bus sed spiritualibus. Alia verò est cau-  
 sa nostra multumque diuerſa, qui au-  
 thoritatem regni, ordinum & publico-  
 rum edictorum sequimur, quam etiam  
 armata manu tueri possumus. Nec ma-  
 ioris est momenti illa ratio dum ais, Do-  
 minum Deum qui in veteri testamen-  
 to ultionis & vindictæ signum dedit il-  
 lud buccina noui testamenti interdixit  
 se. Quid igitur? Idem Deus per te, Car-  
 penteri, erit sibi contrarius, id est, incõ-  
 stans & mutabilis, & quæ ipse ædificauit  
 destruet. Quid verò? Annon idem qui  
 in nouo testamento dixit, Mihi vindi-  
 cta

eta Rom. 12. dixit in veteri quoque mihi vindicta: Deut. 32. Nam hoc ipsum testimonium non ex noui, sed ex veteris pacti tabulis à Paulo refertur. Eodem autem animi errore dicitur, licuisse veteribus ex edicto Dei odisse inimicos.

Quis tam peruersè leges diuinas docerem Iurisconsultum aut in iuris interpretatione tam oscitantem ferat, qui narrationem à sanctione legis distinguere non possit? Narrat enim refert que tantum Christus quid non quidem Deus lege sua edixisset, sed quid scribæ & Pharisei pessimi, quemadmodum iste, legis interpretes atrexiissent. Atque hæc ipsam Phariseorum sententiam de inimicis odio prosequendis tanquam à diuinæ & veteris legis mente remotissimam damnat Christus. quemadmodum enim nouo, ita veteri testamento iubemur diligere inimicos. Cur igitur iste Marcionita contrarios Deos, contrarias leges, contraria testamenta comminiscitur, fingitque nobis? Qui tam apertas Dei sententias falsa interpretatione corrumpit, quanta cum in obscuris hominum legibus modis illis suis

*Pro. 20.*

*v. 22.*

*Exod. 23.*

*v. 5.*

Phrygijs commouere, & quotidie perturbare credimus? Et tamen hic se Iuris consultum profitetur, diuina cum humanis, & sacra cum prophanis miscet, vt in nullo non rerum genere peritus appareat: Deniq; vt se à belli consilijs alienissimum esse ostendat, classicum in tota epistola furiose canit. Ac fortasse iste magna fraude atq; coniuratione cū Matharello inita hoc potissimū argumentum tractandum suscepit, vt Matharellus quidem impudentissime scriptis suis regnum Franciæ negaret perturbatum, iste verò (quāquam perturbatum esse cōcederet) tamen neque tuendum neque restituendum eadem mercede conductus defenderet. Pecora nos esse oportuit non homines, vt tam vanis & ineptis rationibus vel moueremur, vel crederemus, nec illa facile dissolueremus quæ de Christi patientia Carpenterius subiicit. Quis enim hæc negat, & Christum esse perfectæ patientiæ exemplum nobis ad imitandum propositum: id quod intelligimus etiam te tacente, Carpenteri, sed idem ille Christus & inferiores Magistratus

gistratus armat gladio, non nuda pati-  
 entia, quo pugnare aduersus iuris pu-  
 blici violatores possint, & multo ma-  
 gis summos magistratus, inter quos præ-  
 cipue sunt Regni status & ordines, vt il-  
 læsam Regnici ( si ita loquendum est )  
 & antiqui iuris quo Respub. continer-  
 tur, authoritatem conseruent. Quod  
 cū hodie nos Christiani facimus, quid  
 à Christi præceptis & patientia alie-  
 num facimus, ac non potius quid non  
 cum illius voluntate & iussu maxime  
 cōsentiens & cōsentaneum? quum Do-  
 minus ipse Iesus Christus per prophe-  
 tam v̄æ illis denūciat qui opus Dei sce-  
 lerūq; vindictam negligenter exequū-  
 tur. Nec enim harum rerum tolerātia  
 patientia animiq; lenitas, sed potius  
 summa negligentia est dicēda. Sed do-  
 let tibi qui patriæ ἀλάσως es, quòd nō  
 patienter miseram ipsius ruinam feri-  
 mus? quod eam vltro paucorum homi-  
 num tyrannidi & auaritiæ nō cōcedi-  
 mus? quòd nō tā bona causa prætermis-  
 sa, tāquā oues, vt tu loqueris, ad occisio-  
 nē muti ducimur? Sed id fecimus, & ita  
 viximus, Carpenteri, cum opus fuit, cū



de sola religione fideique Christianæ  
 veritate tuenda ageretur, & adhuc etiã  
 Domino nos corroborante quidlibet  
 pati pro nomine Christi parati sumus.  
 Cum priuatim cædebamur, obmutui-  
 mus, cum & Christiani tantum afflige-  
 bamur, comburi, dissecari, mergi, suspen-  
 di, occidi nos singulos & congregatos  
 patienter tulimus: quod ipse quanquã  
 inuitus, testaris. Sed nunc de Rep. cuius  
 ciues sumus nobis adimenda, nunc to-  
 tius Regni Franciæ, in quo nos Domi-  
 nus ipse nasci voluit, statu subuertēdo,  
 de patria paucorum tyrannorum rapi-  
 nis & libidini submittenda, nunc de iu-  
 re politico, non de religione per se quæ-  
 stio est. Quæ causa ex Dei ipsius iusu nõ  
 patientia, sed vim arcendo: non fugi-  
 endo, vt vis, sed pugnando ab omnibus  
 bonis fidelibusque ciuibus suscipienda  
 atque agenda est. Nam quæ de vniuer-  
 sa spiritali armatura, non autem carna-  
 li induenda dicuntur, & amplectimur  
 & agnoscimus, sed illa locum habent  
 cum tanquam priuati & non tanquam  
 pars ordinum & statuum Franciæ ac-  
 censemur & cum Christianæ pietatis &  
 Reli-

Religionis confessio à nobis tanquam Christianis priuatisque postulatur, nō autem cūm publicæ salutis oppressæ tãquam à ciuibus defensio desideratur.

Tum enim arma carnalia nobis à Christo ipso, qui regna constituit, concessa piè ac legitimè sumuntur. Siue enim publicus hostis interius, siue exterius grassetur vi & armis ab ipsis Regni ordinibus vel vniuersis vel eorum etiam maiore parte illi hosti resisti debet, & quod ab hac vna statuum parte geritur iam publica non priuata autoritate fieri certum est. Hæc si nunquam intellexisti, quanquam es Iurisconsultus, nūc discce, & quid Christianæ fidei professio à publica patriæ tutione differat, tandem cognosce. Itaque toto cœlo erras, qui putas Christianos homines, patriã suam armis tueri cōtra iuris antiquissimi violatores, & publicos tranquillitatis perturbatores non posse, quia D. Stephanus fortissimus Christi athleta per patientiam non per pugnam dimicationemque occubuit. Erat enim in ea causa homo priuatus Stephanus, nec magistratui, quanquam iniquo, re-

sistere illi licuit. Quod si & solennis illi-  
 us edicti, quod mēse Ianuario anno Do-  
 mini 1561. promulgatū est auctoritate,  
 & magistratus cui cura prouinciæ incū-  
 bebat, iussu armatus fuisset, nō tūc pati-  
 entia illam attulisset, sed pro legum po-  
 testate tuenda non inuitus sanguinem  
 suum etiam armatus profudisset. Cum  
 enim fundamēta Regni ruunt & euer-  
 tuntur, sunt pugnando, & bellādo, & o-  
 mnia alia ratione quantū in nobis est su-  
 stētanda atq; confirmāda, vt est in Pl. 75.  
 Ergo tunc de nomine Christi confessio  
 & veritatis controuersia à Stephano tā-  
 quam priuato homine tractabatur: nō  
 illa quę ad statū publicū politicūq; per-  
 tinebant, quæq; edictis aut publicorum  
 regionis statuum auctoritate, erant cō-  
 firmata, qualis nūc est nostra cū vestris  
 causa & disceptatio. Exemplo autē rem  
 patefaciam quò melius, Carpenteri, no-  
 ris. Si à me homine Franco, quid de scē-  
 dissimo illo Missæ tuę mōstro sentirem  
 quæreres, liberè quid esset, quamq; in  
 D. N. Iesu Christi mortem blasphemū,  
 & horrēdum, exponerē. Si negares, me-  
 que propterea ad magistratū traheres,  
 paterer:

paterer, si damnarer mortis, quia Christi veritatem professus essem, non modo æquo animo ferrem, sed etiam lætarer, & si ipsum iudicem aut tortorem nemine conscio & sciente, vno ictu confodere possem, tamen eos ne attingerem quidem. ligari me à vobis, duci, & occidi paterer. Sum enim in hac causa priuatus, & hæc de sola religione quæstio est, quæ vt merè tota quæ spiritualis est, ita constantia fide expectatione promissionum Dei gladio quæ oris ipsius (quæ sunt spiritualia arma) defendenda pijs hominibus est. Idem si de animarum purgatorio interrogares, agerem. Idem in cæteris fidei Christianæ articulis, in quibus vos apostatæ nō modo à nobis, sed à veritate ipsa, & propriæ cōsciētiae testimonio desciuiſtis, si Deus me cōfirmaret, præstarē. At si quis me hosti vel interno, vel externo patriam prodere, si ipsū statū Regni collabentē deserere, si leges regni violare, si fundamēta ipsa Reip. euellere iuberet, primū quia ciuis bonus esse cupio, nō asserer. Deinde si cogeret, repugnare, si etiā aliquis magistratus, vel aliqua ordinū regni pars ad se euocaret, ad

eam accederem, & tunc publica auctoritate armatus fortiter pugnarem, quia ut inquit propheta, fundamenta regni collabentia sunt a pijs ciuibus fulcienda: optimum enim, quemadmodum ait ille, augurium pugnare pro patria. Quod excipis, Atqui illa pars statuum auctoritas publica censeris non potest, falleris. Iam primū enim tam illa mea pars in qua sto, pugnoque, publica est quā tua, quia pars est statuum Regni. Deinde quia mea sola honestam, iustāque suā defensionis causam habet, tua verò nullam inuadendi aggrediendique occasionem, nisi quia patriam ipsam pessundare conatur: sola, inquam, mea pars, iuste armata est, tua iniuste. Itaque iam non tantum tu mihi hostis & perduellio es, & ego tibi, sed ego solū meique milites iusti sunt, tu verò tuique omnes prædones & latrones teterrimi: & bellum meum solum iustum est, bellum verò tuum, Carpenteri, merum latrocinium est. Denique quæ animi virtus constantiaque in eo me bello sustentat, audentemque facit animi fortitudo est. Quæ autem animi pertinacia & obsti-

obstinatio te tuosque retinet, impudēs  
 audacia est dicenda. Itaque non ego  
 sum draconarius satanariusque miles,  
 quemadmodum scribis, sed tu potius is  
 es, qui patriæ proditor nefarius, & apo-  
 stata fidei Christianæ turpissimus esse  
 maluisti. Nam quòd D. Petri exemplū  
 adfers, qui tyro, vt vis, nouellus in disci-  
 plina Christi gladium strinxit, ac pro-  
 pterea à Christo reprehensus est, nihil  
 te iuuat. Erat enim homo priuatus Pe-  
 trus nulla publica subnixus authorita-  
 te. Nec enim tunc quāquam pro Chri-  
 sto Regum Rege atque duce suo pu-  
 gnaret, rectè & ex Dei præcepto pugna-  
 bat. Venerat enim tunc Christus non  
 vt rex esset in hoc mundo, sed vt iudica-  
 retur: nec circum se apostolos habuit,  
 tanquam prætorianos milites, quod fal-  
 sò scribis, qui gladijs & ferro, sed spiritu  
 oris Dei Euangelij aduersarios vincerēt  
 & prosternerēt. Denique alia est, quod  
 sæpe diximus, Christianæ pietatis pro-  
 bandæ, alia publici status tuendi à Deo  
 ipso constituta ratio. Illa enim sacris li-  
 bris, hæc publicis etiam armis defendē-  
 da est. Sed nostros magistratus negas

esse magistratus, sub quib. legitimè pugnemus, quia eam sibi dignitatem vsurparunt, vt tu vis, ab alio verò quoq; magistratu non habent sibi delegatā. Te ipsum refutas, dicis enim ipse legibus hominum cum esse iustum magistratum, cui à populo datum sit imperium. Et rectè. Reges enim à populo, non populus à Rege est creatus. Cuius populi cum pars vna ea que optima nostra sit, cum nostri duces ab ea potestatem acceperint, cum Regni ipsius magistratus, non tantum Regni satellites sint, per te ipsū veri legitimiq; sunt & fuerunt semper magistratus, quorum qui iussum sequitur, publicam auctoritatem sequitur, & regni ipsius magistratus sui facti auctores habet. Sed fortasse illud multos teque ipsum imprimis monet, quod in partibus vestris Regem ipsum habetis, sed vestris præstigijs fascinatū, & adulationibus (quæ fortissima sunt regum vincula) constrictū : cuius aures si quando nobis patuerint, tum sanè quæ causæ nostræ sit æquitas ipso sedente cognoscetis. Quid vero? etiamne qui tot artes, tot que vocabula didicisti,

quæ

quæ quantaq; differentia sit inter Regē  
 & Regnum iurifconsulte ignoras? Vos  
 igitur Regicolæ estis, at nos Regnicolæ:  
 vos Regis personā, nos regni dignitatē  
 & maiestatem habemus: vos hominē,  
 nos leges ipsas & Remp. tuemur. Iam ve  
 ro illud Aristotelis quis neget esse lōgē  
 verissimū, quòd qui hominem regnare *Lib. i.*  
 vult, ille belluā: qui legē, ille Deū sibi im- *polit.*  
 perare optat? Quod autē christianis ho  
 minibus clypeū solum concessum esse  
 cōtendis, gladium autem denegas quē  
 gestent, quoq; vtantur, in eo tua te fefel  
 lit memoria. Nega igitur Christianum  
 fuisse regē illum nostrū D. Ludouicum  
 atq; alios imperatores, qui tam procul  
 Christiani nominis hostes apertis ar  
 mis petierunt. Dic quoq; fabulosū esse  
 qd' de Cōstantino fertur, illi aduersus  
 Maxentiū non subditū, sed regni cōsor  
 tē idq; Roma. ipsius episcopi rogatu pro  
 ficiscēri diuinitūs ostensū crucis signū  
 his literis inscriptum, *in hac signo vinces.*  
 Nec verò cūm à nobis sacrosancta veri  
 tas Euangelij propugnanda est, ferro,  
 quod antea diximus, sed verbo Dei  
 vtimur, illudque sumimus in manibus.



Id quod & in Possiaceno colloquio fecimus, & sæpe aliàs, & nūc adhuc, si modo per vos liceat, optamus fieri. Cur enim nobiscū de Missa, de primatu Papæ, de sacrificio regnoque Christi æterno, non iure sed manu, non placida collatione, sed armata acie homines ineptissimi certatis? quasi etsi nos bello ferroque viceris idcirco Papam caput esse Ecclesiæ, & Missam sacrificium pro viuis & mortuis offerendum esse persuadeas. At ego ex verbo Dei edoctus didici nec ouem, quæ maxima est hostia, nec taurum, quæ maxima est victima, nec aliud quicquam pro peccatorum nostrorum remissione Deo iam mactandum vel offerendum esse. Est enim satis vnus Christi sanguis effusus vnico illo, quod ipse in cruce peregit sacrificio, quod iterari sine crudelissima Christi nee immani que blasphemia non potest. Quod si de colendis simulachris & imaginibus etiam disputandum est, quas iste Carpenterius tantopere laudat, vt etiam tanquam triumphales tabulas & rerum gestarum picturas in cælū ipsum nos illaturos esse scribat, Dei verbo

verbo nō ferro tota controuersia à no-  
 bis definietur. Sed operæ precium est  
 in hac epistolæ de peplo Græcorum,  
 & tabulis pictis parte, Carpenterium au-  
 dire, quia in ea se non minus ineptum  
 pictorem, quàm in reliqua vanum scri-  
 ptorem ostendit. Et sanè Lepidus ho-  
 mo sannio Carpenterius, ne non om-  
 nes simul artes attigisset, etiam pingere  
 didicit, non quidem res ipsas, quales ge-  
 stæ sunt, sed animi sui, more hominum  
 furiosorum, phantasmata, & quæ sceles-  
 ra ipsi non lineamentis quibusdam ad-  
 umbrarunt, sed viuis varijsque sæuitiæ  
 generibus in nos perpetrarunt: Et ta-  
 men crudelitatem nobis obijcis Carpē-  
 teri, quam incredibilem tui non tantū  
 antea in nos exercuerunt, sed ne nunc  
 quidem post tantum sanguinem ab his  
 perfidissimè fufum deponere & exuere  
 potuerunt. An verò Bartholomianæ  
 cædis & furoris tam citò oblitus es; cu-  
 ius si non suator fuisti, quia homo igno-  
 tus & nihili Lutetiæ degebas, certè im-  
 pudentem atque redemptum præconē  
 miserabilemque patronum te postea  
 præbuidisti. Ac fortasse vis vt sexcentas

piorum hominum mactationes ditersis in locis à tuis crudelissimè factas, memoriter recenseam, vt Aurelianam, Lugdunensem, Tholosanam, Rhotomagensem, Bituricensem, & alias innumerabiles prouincias proferam, in quibus paucorum dierum spatio plusquã 60. milia hominum Christianorum à tuis carnificibus sequissimè iugulata fuifse, ne ipse quidem negabis, adeò vt de se Christiani afflictique Franci meritò illud vsurpare possint, Quæ regio in terris nostri non plena laboris? Sed copiosè ista ab alijs exposita sunt: & quæ de rebus in Francia paucis his annis gestis scribitur historia, luculenter omnia narrabit. Cæterùm illud iam satis mirari non possum, quid tibi homini acuto venerit in mentem, Carpentari, vt diceres nos ad diripiendam Galliam externas nationes euocasse. Quæro igitur ex te, vter exercitus extraneis hominibus & mercenarijs militibus constet, meusne an tuus, vtri Heluetios, Germanos, Hispanos, Italos in Franciam ad omnia compilanda & corradenda primi deduxerunt? Vtri certis

certis constitutisque stipendijs retinuerunt, & adhuc hodie conductos habent & vndique conuocant? Annon illi triū viri qui primum regis pueritia abusi sunt, & deinceps illi tyranni, qui totius Regni Franciæ statum publicum semel euersum esse cupiunt, Guisiani dico & Itali, & ij qui fraude decepti vel spe illecti sequuntur istorum furores? Nonne vestri etiam nunc Chombertum & Bassompierum in Germaniam: in Italiam autem alios ad colligendum nouum exercitum dimiserunt? vt quicquid est miseris Gallis residui, illud secum asportaturi veniant. Ac certè mihi extremum Galliæ fatum, miserrimumque statum cogitanti, illi non ad subsidia, sed ad Galliæ inuitari exequias videntur. Sed nos qui à vobis ista fieri videbamus, habuimus in exercitu aliquot peregrinos, & eos quidem optimos ex confederatis, & huic Regno sanctissime affectis Principibus & populis, quales tunc ipsi Angli erant, quos & paucos aduocauimus, & statim dimisimus:

atque hos etiam sudore & militari pul-  
 uere potius quam rapinis illis plenos  
 onusto (que (qui necdum iusta stipen-  
 dia acceperint) extra regni fines pacatif-  
 simè deduximus. Et quis non magno-  
 pere laudet accersita esse ad Franciæ de-  
 fensionem amicorum tantum princi-  
 pum & imprimis Germanorum è qui-  
 bus Franci orti sumus, auxilia? At vos  
 coniuratos Galliæ hostes & infensissi-  
 mos, nempe Hispanos, etiam post pacè  
 perfidissimè retinuistis, Italos in vrbi-  
 bus præfidiarios insidiosè collocastis.  
 Quòd si qui in bello vel in pace regnū  
 Franciæ auarissimè vel antea expilarūt  
 vel nunc depredantur, ingenuè fateri,  
 Carpenteri, volumus, vel à teipso dicen-  
 tur esse illi ipsi extranei & homines pe-  
 regrini, quos tu in cœlum vsq; vt pro-  
 missam mercedem auferres, laudibus  
 euexisti. Hi verò sunt, qui nullum non  
 crudelissimæ rapinæ genus in miseros  
 Francos exercent, & in dies nouum ex-  
 cōgitant. Testatur id Francia vniuersa,  
 testantur magno cum gemitu & dolo-  
 re amplissimæ & ditissimæ olim ciuita-  
 tes, nunc ab Italis exhaustæ. testatur pu-  
 blicus

blicus & acerbus Francici populi, quē  
 nō rotonderunt illi, sed deglubuerunt,  
 luctus. Destatur denique res ipsa, quan-  
 do nec alios reddituum publicanos, nec  
 regiæ monetæ quæstores, nec publici  
 ærarij præfectos, quam istos peregrinos  
 & extraneos homines rapacissimos in  
 tota Francia iam cernimus. Nec tu id,  
 quamquam es insigniter impudens, ne-  
 gare tamen audebis. Ergo si quæris per  
 quos antea factū sit, & adhuc fiat vt ab  
 externis & peregrinis hominibus om-  
 nis Gallia expiletur, per tuos non per  
 nostros fateberis id fieri. Nam nos ipsi  
 huic isti tam magno malo quemadmo-  
 dum & cæteris lethalibus Galliæ vulne-  
 ribus mederi conamur, vos obstat. Ita  
 que ne à vobis quidem impetrare iam  
 possumus, vt à Gallis Gallia administre-  
 tur, & ipsa suis opibus fruatur. Vos pa-  
 triæ parricidæ ad hunc vsque diem quā-  
 tum perdita animi audacia potuistis,  
 tam honesto & sancto animi nostri in  
 patriam studio & conatui resistitis.  
 Nec nos soli hæc optamus reformari,  
 sed optimi quique Franci. Denique li-  
 bera trium Galliæ ordinum & statuum

suffragia postulamus, quæ audire furio-  
 sissimè recusatis. Atqui si illa iampride-  
 dem, quemadmodum oportuit atque  
 adeò omnino necessarium est, audita  
 fuissent, hæc tam sæua hirudo tandiu  
 Galliam non suxisset, neq; exhaustisset:  
 neque etiam tuus ille quem cur Dolo-  
 nem voces tu videris, magnus & inui-  
 ctissimus ille regij exercitus dux, quem  
 appellas, non, inquã, tandiu iustas scele-  
 rum suorū pœnas effugisset, sed primū  
 lege peculatus interuersę publicę pecu-  
 niæ (de quo omnium Francorum voce  
 apud tres status accusatus est) damna-  
 tus: deinde lege Iulia maiestatis, & sce-  
 leratissimæ prodicionis, vt qui Regis cõ-  
 filia, Hispanis infestissimis hostibus iam  
 tum omnia per emissarios suos tegeret.  
 Postea ambitus turpissimi conuictus,  
 vt qui præter leges patrias alienas am-  
 plissimasq; dignitates inuasisset, publi-  
 cum sui spectaculum populis lætanti-  
 bus, & Gallicæ veterisq; maiorum no-  
 strorum disciplinæ & sanctitatis exem-  
 plum patibulo affixus præbuisset. Nec  
 id nouo more, Carpenteri, inter Fran-  
 cos fieret, cū Luxemburgum Sampau-  
 lini

lini Comitem, & Franciæ Conestabliū  
 patrum nostrorum ætate, propter mi-  
 nora & pauciora crimina pœna publica  
 grauiissimaq; affectū esse in patrijs histo-  
 rijs legimus. Sed ille idem Dolon præ-  
 ter superiora omnia eaq; capitalia sce-  
 lera, addidit illud contra recens condi-  
 tum & promulgatū anno Domini 1561.  
 mense Ianuario, edictū, quo totius Rei-  
 publicæ salus continebatur, illud, in quā  
 perfidissimum, impijssimum & inexpia-  
 bile Vassianæ Christianorum iugulatio-  
 nis, & pene internecionis facinus, qđ  
 scelus non tantum in hominum, sed in  
 Dei ipsius (cuius nomen & pietatem il-  
 li profitebantur) contumeliam ab ho-  
 mine fero & immani fuit patratum.  
 Itaque vt verè dicam non homines, sed  
 Deum ipsum, Carpenteri, habuit vlti-  
 rem, vt qui tam insignem Domino no-  
 stro Iesu Christo iniuriam fecisset, ipse  
 dignum furoris sui supplicium ab eodē  
 pateretur. Quoties enim pios nostros-  
 que affligitis, illud meminertis, quod  
 ait ad Paulum ipse Dominus, Saule Sau-  
 le cur me persequeris. fuit enim illa cę-  
 des tam nefaria totius incendiij, quod



postea exarsit, & in vniuersam Galliam latè sparsum, ac ne nunc quidem extinctum est, prima fax, quæ si vel nō accensa, si huius ipsius morte statim extincta fuisset, certè tantis, quibus penè consumpti sumus, malis nunc careremus.

Sed qui tandiu hominum manus vi & potentia sua fretus effugerat, in Dei manum tandem incidit, vt in medio exercitu, à suis vndique septus, in medijs ipsis, quibus turgebat, & quo tēpore maximè ad finem sua consilia perduxisse videbatur, ab hoste (id quod ius militare permittit) cæsus occubuit, hostibusque suis ille ipse Dux, qui abs te inuictus appellatur, victoriam reliquit.

Quid igitur illi Doloni accidit? certè quod homines etiam prophani scribunt, in hominum sceleribus vleiscendis diuina vindicta lento procedit gradu, sed tarditatem poenæ grauitate supplicij compensat. Sed cui ista de Deo cano? nempe Carpenterio, id est, homini surdo qui Euangelij sacrosanctam doctrinam non pluris esse putat quàm obliqua Pythij Apollinis oracula.

Nam sic Apostatæ sentiunt & loquuntur

tur. Obijcitur autē nobis quòd in exercitu nostro iam eos ipsos habeamus quos prius auersabamur tanquam hostes, & diris insectabamur. Quod Carpenterio neque placet, neque probari potest: Sed vt Carpenterio displiceat, quid periculi est? nos tamen qui causam actionesque omnes nostras bonis viris approbari cupimus, breuiter respondeamus, eos ipsos primū non esse homines extraneos quos belli socios aseruerimus, quosque ad Franciæ depredationem euocatos, vel calumniari possit, vel nobis vitio vertere. Deinde cur eos nobis amicos habere non liceat?

Num quia nunquam nos inimico reconciliari oporteat, quod isti nunc Italogalli pro summo prudentiæ humanæ, quanquam est turpissimum, præcepto habent? Num quia turpe sit eos qui prius aberrarunt, in rectam viam reuocasse? Sed vt consilium nostrum norint omnes (sumus enim ingenui) ecce tibi hoc, Carpenteri, liberaliter communicabimus, vt quando tuis indicaueris, exploratoris, qualem te semper gessisti, præmium lege militari reportes, hoc

inquam, nostrum in eo consilium est. Illos, quibus prius aduersarij fuimus, nunc socios habemus, nec id diffitemur, quoniam de Repub. nunc demum rectè sentire cœperunt, idque ipsa rerum experientia edocti didicerunt. Itaque communem patriæ calamitatem sistere, atque pro viribus impedire nobiscum studēt & cupiunt. In quo ipso vides, Carpenteri, quanta sit animi nostri patientia, & amor in patriam penè incredibilis, qui statim illius gratia omnes ex animo iniurias priuatim nobis illatas deleuimus, atque ita patriam eiusque salutem omnibus nostris commodis anteposuimus, vt præ ea leuis nobis videatur rerum omnium iactura, modò patria ipsa salua maneat. Sed quæ sunt adhuc inter eos ipsos socios nostros ceremoniæ, quibus vera pietas repugnet, ijs neque assentimur, neque communicamus: sed sanctum eorum in patriam animum probamus, quem quis non merito exosculetur, & summo pere amplectatur? Quis non mutata in melius mentem ijs gratuletur? Quis

Quis non admiretur, & laudet eos  
 iam pro patrio iure tuendo fortiter  
 occumbere paratos? Sed si qui sunt  
 qui hominibus Christianis licere non  
 putent socia etiam cum alterius reli-  
 gionis hominibus arma habere, & in  
 vno eodemque exercitu militare, ij  
 certè falluntur, & ad patrum exem-  
 pla non satis attendunt. Nam legi-  
 mus seuerissimos sanctissimosq; Chri-  
 stianos sub M. Antonio Commodo,  
 qui philosophus dictus est, Imperato-  
 re profano, cum legionibus Rom. &  
 idololatriis contra Marcomannios mi-  
 litasse. Quod idem factitatum esse  
 sub Constantino Magno nemo histo-  
 riæ ecclesiasticæ peritus nescit. Nec  
 verò id minus homini Christiano con-  
 cessum est, quàm eiusdem ciuitatis  
 cum Idololatra ciuem, eiusdem mun-  
 di habitatorem esse, modò eorum su-  
 perstitionibus nos Christiani absti-  
 neamus. Quamobrem non eorum Ce-  
 remonijs, & in Religione peccatis com-  
 municamus, de qua re inter nos & illos  
 nulla societas contracta est, sed fortia

illa pectora, quæ se pro patriæ salutē iã  
 deuouent, quæ pro communi & publi  
 co regni iure tuendo sanguinem suum  
 effundere decreuerunt, vt Francica ge  
 nerosaque pectora agnoscimus, & he  
 roicos illos viros amamus. Itaque vt  
 nobis in eo cum illis communis causa  
 est, ita socios & amicos eos habemus &  
 appellamus. Quid vestri, Carpenteri,  
 nonne & de nostris abduxerunt quos  
 promissis fefellerunt, & qui papistæ diei  
 mini & estis, Huguenotos, qui à vobis  
 vocantur, etiam quotidie conducitis  
 mercede? Turpe autem est in nobis re  
 prehendere, quod ipsi tam studiosè faci  
 tis. Denique quis miretur, ciues etiam  
 si diuersæ sint religionis, pro commu  
 nis tamen patriæ defensione, commu  
 ni inter se consilio vt, communibus ar  
 mis & communi exercitu dimicare, at  
 que res suas administrare, si & Helue  
 tios sapientissimos, & Germanos viros  
 fortissimos, & nuper potentissimi Im  
 peratoris Maximiliani Hungaricū exer  
 citum aduersus Turcam contractum  
 viderit vel audierit? Sed cōqueritur vir  
 bonus Carpenterius, quem omnes in  
 signem

signem vanitate virum aspiciunt, perdi-  
 tos & improbos homines in milites à  
 nobis conscribi, & in exercitu nostro  
 quotidie versari. Quasi verò pro patrię  
 tutela ex disciplina militari ad quam il-  
 le nos toties reuocat, serui ad pileum  
 vocari non soleant: & externis Reipub.  
 periculis vti morbis externa remedia  
 quæri adhiberi que non debeant. Natu-  
 ram enim vti optimam corporis nostri  
 custodem, & prudentem rerum guber-  
 natricem imitari æquum est, quæ cor-  
 ruptis humoribus ad famelici stoma-  
 chi cibum si iustior desit abutitur: sic  
 ad Reipub. incolumitatem conseruan-  
 dam, vel libertatem restituendam exuli-  
 bus quoque & huiusmodi hominum  
 genere vti summis ducibus vtile & sæ-  
 pe necessariũ fuit. Per quos enim Epa-  
 minondas Thebas, per quos Thrasibu-  
 lus Athenas à crudelissima seruitute &  
 paucorum hominum tyrannide libe-  
 rauit? Hæc præclara facinora, si nescis,  
 Carpenteri, per solos exules & cœpta  
 & peracta sunt. Cum Camillus, quem  
 tu tantopere in militari disciplina san-  
 ctè obseruanda laudas, captam patriã

à Gallis repeteret, cum propterea vndique exercitum conscriberet, dispersos Romanos colligeret, ecquem hominū delectum habuisse tunc eum putas? Certè vel te historia ipsa refutabit, quæ docet omniū hominum etiam eorum qui exules & rebelles censebātur, genus admissum ac etiam inuitatum fuisse, & eum ipsum Camillum, qui huius cœpti tam honesti dux & author fuit, tunc temporis extorrem patriam vixisse. Quid Augustus Imperator, ex cuius legibus tu nos milites contra veterem disciplinā legisse scribis? qualis vniuersus illius cum Antonio coniunctus exercitus fuit? quod igitur in tantis & à te ipso laudatis ducibus probas, cur in nostris reprehendis? sed age rem ipsam, uti est fatemur, hæc est tēporum calamitas. Certè rei militaris hodie ea est ex tã laxa, etiã nobis obnitentibus, disciplina, ut multi cū militant mali esse incipiant: & ea bellorum ciuiliū licentia est, ut multa contra veterem rationem fieri, quemadmodum Sylla respondit, necessitate quadam tolerentur. Quòd si exemplum nostri facti quærendum est, habe-

habemus Dauidem etiam ipsum, de cuius exercitu qualis fuerit, scriptum legimus Sam. 22. Sed quid tandiu in co-  
purgando inhæreo, quod primum ne-  
gare possum, si velim: & vt concedam  
aliquos in nostro exercitu esse homi-  
nes improbâdos, obsecro, quibus quot  
quæ sceleratorum, prædonum, parrici-  
draum generibus constat vester, Carpen-  
terii, qui totus nihil planè aliud est, quàm  
latronum & patriæ proditorum colle-  
cta multitudo? Sed audiamus, Loma-  
ni, cur toties exclamet Carpenterius,  
& tam acerbè in nostrum exercitum in-  
uehatur, nimirum quod in tanto mili-  
tibus, quibus exercitus noster constabat  
numero visus est semel Tholosæ mania-  
pulus, qui de rapacibus hominibus at-  
que furacibus ipsius conterraneis con-  
scriptus esset. Sed etiam nos ipsi hunc  
manipulum damnamus, nec propter  
rea tamen totum exercitum. Quan-  
quam quid aquæ guttulam, in tanto pe-  
lago, & hominum mari amaram inue-  
niri potuisse miretur? quod certè eue-  
nisse tam mirum videri cuiquam non  
debet, quàm rapaces homines Carpen-



terio vasconi homini displicere potuif-  
 se, qui non modo vetera nomina non  
 dissoluit (in quo est manifesta species  
 furti) sed etiam mendacijs, fraude & im-  
 postura plus quàm seruili homo agyr-  
 tes à quouis pecuniam eruscat & emū-  
 git, vt ne Epidicus quidem Plautinus  
 seruus sit cum hoc Iurisconsulto fura-  
 ce comparandus. Sed ita homo est, &  
 vt ait Plautus, versutior quàm rota figu-  
 laris. Et quòd Gallos à Gallis in tam bo-  
 na & communi causa adiuuari æquo a-  
 nimo ferre non potest, improbum est.  
 Sed recte ille.

*Est miserorum, vt maleuolentes sint, atq;  
 inuideant bonis.*

Deniq; & postremo loco (omnia enim  
 corrasit vetera & noua Carpenterius  
 quæ ad bonam causam prægrauādam,  
 & malam pigmentis ornandam dici  
 animoq; fingi poterant) quod de Mel-  
 da oppido obijcit, & supplicatione tunc  
 Regi oblata, quis non miretur potuisse  
 damnari? nam sciunt omnes rem illam  
 totam à rege ipso publico edicto, cum  
 postea comperisset qualis fuisset, com-  
 probatam. Nec tantum Gallis ipsis, sed  
 etiam

etiã extraneis Principibus & illustris:  
 Electoribus ea nostri consilij ratio iu-  
 stissima semper visa est: quandoquidẽ  
 non modò fortissimos milites suos cū  
 nostris coniunxerunt, sed ipsi, quanquã  
 principes essent Illustris. tam durum  
 itineris & belli laborem suscipere non  
 recusarunt, quo facto demonstrarunt  
 ipsam illam supplicationem nostram  
 & æquam, & Francis hominibus omni-  
 no necessariam sibi videri. Quos Ger-  
 mania Principes generosissimos atq;  
 potētissimos Dominos, si tu homo ne-  
 quam, remeritatis quemadmodum & *fol. 26.*  
 Danos fecisti, accusare vel etiam dam-  
 nare audebis, quis leuissimi hominis  
 Carpenterij, & à Christo transfugæ ca-  
 lumnias grauis. & nobiliss. Germaniæ  
 Electorum iudicio anteponit? Sed hæ  
 sunt veteratorum hominum technæ, &  
 causidicorum artes, nimirum vt omnia  
 quæ ad tenebras offundẽdas faciunt sū-  
 mo studio cōquirant & cōgerãt, vt quæ  
 non possunt singula, multa collectaq;  
 premere videantur. Sic igitur quod de  
 nobis mentitur præstat reipsa Carpēte-  
 rius, fraudibus & mendacijs nubem bo-

nis obijciens, & pro vera hasta frondosam thyrsam iam ipse bacchando gestans, verbis denique suis fucum veritati faciens, ac turpissimis mendaciorum frondibus minus attentis hominibus imponens. Ergo quis iam te feret illud conatum, & illud tam honestum Francorum & generosorum virorum de Rege adeundo studium apertissimæ Coræ & Abironis coniurationi & rebellionis nefariæ comparantem? inter hæc enim quænam tandem similitudo esse potest? Illi Dei cultum, quod vos facitis, ex animi sui sententia instituere volebant: Itaque absorpti sunt. At nos verum numinis cultum non ex nostro sensu, sed ex ipsius verbo reponendum contēdimus. Illi benignissimè à Mose exauditi non conquieuerunt. Nostri inhumanissimè semper vel ipso ad regem aditu prohibiti tantum vt audirentur instabant. Illi nulla publica priuataq; iniuria affecti, sed honestissimo gradu retenti vltro seditioem in castris Domini mouerunt: Nostri omni iniustitiæ genere oppressi & necessitate ipsa adacti supplicationem tantum offerebant. Quid igitur

igitur inter utrosque simile fuisse com-  
 penes? Quòd si nos cum veterum pio-  
 rumque aliquot exemplis conferre, &  
 aptissimè quidem voles, habes quibus  
 cum compares, Carpenteri. Similes e-  
 nim filiabus Salpha ad fumus, quæ cum *Num. 36.*  
 auitam hæreditatem sibi eripi cõquere-  
 rentur, primum irriæ sunt: post autem  
 assidua interpellatione id obtinuerunt,  
 vt Deus ipse de causa postulationis q̄;  
 earum æquitate interrogaretur, quarū  
 & causam & petitionem, quod esset iu-  
 stissima, contra hominum iudicium  
 Deus ipse comprobauit. Hi sunt igi-  
 tur quibus similes fumus, Carpenteri,  
 non seditiosis illis, non rebellib. quorū  
 meministi, sed optimè in patriam, re-  
 gnum, Regemque ipsum, si modò Rex  
 communis esse velit, & ex præcepto  
 Platonis, vtranque partem æqualiter  
 curare, sanctissimè affectis. Quòd  
 autem nouum illum Cometam à no-  
 bis in malum regis omen acceptum  
 fuisse scribis, quàm verè à nonnullis  
 existimatum fuerit res ipsa ostendit:  
 fato enim functus est, eoque acerbis-  
 simo, vt vestrorum historia narrat.

Rex is ipse, cui tam dira quædam noua illa stella portenderet multi prælagierunt . Itaque iustissimæ Dei ultionis & iræ certissimum fuisse testimonium negare non potestis . Atque utinam ille non esset à vobis demētatus, & sanis nostrorum admonitionibus paruisset .

*fol. 53.* Sed quod omnes sciūt, qui nos norunt, neque Cometas, neque signa cœli obseruamus uti vestri, tuque ipse, qui ex aruspicina nescio quæ Henrici regis futuram dignitatem ac foelicitatem prædicis . Dei verbum hæc fieri vetat, ut totum hoc, quod de regni regisue exitio ex eo Cometa à nobis denunciato, addis, tralatitium & eumentum esse euidētissimè appareat. Regni autem Fræciæ euerfionem eamq; proximam præuidere, nisi Dominus ipse summa sua misericordia illius misereatur, cui tam difficile Carpenteri, existimas? nō quidem ex vanis viscerum inspectionibus, aut cœli & syderum prognosticis: sed ex varijs certissimisq; verbi diuini oraculis quæ fallere nunquam possunt. Atque ut illa noris ecce nonnulla proferam, è quibus hoc primum est: Regnū  
quod

quod mihi non seruit, ipsum peribit. Il *Esa. 60.*  
 lud secundum, omne regnum in se di- *Matt. 12.*  
 uisum desolabitur. Hoc tertium, pro *Prou. 28.*  
 pter præuaricationem regionis, multi  
 principes eius erunt. Ecce quibus om-  
 nibus & prædictionibus attendentes  
 de tanto regno penè speremus, cuius  
 ruentis casum, quanquam gementes &  
 inuiti, auguramur. Vbi enim gentium  
 maior fori iniustitia? vbi tot tantæque  
 non iustitiæ sed litigandæ viæ vel reper-  
 tæ sunt, vel in vsu, quàm inter Rabulas  
 vestros? Vbi tetrior idololatria quàm in  
 ter vos? manifestior atheismus, quàm in-  
 ter tui gregis homines, Carpenteri? &  
 petere etiam audes, vt Lomanus V. Cl,  
 se tibi tuisque adiungat: Vbi sæuior im-  
 manitas, crudelitasque maior, perfidia  
 impudentior, quàm apud tuos? Cuius-  
 modi enim esse putas omnium populo-  
 rum de immanibus illis cædibus iudi-  
 cia, quas quid tandem profuit vanissi-  
 mo coniurationis crimine & menda-  
 cio tegere, cum eas Rex ipse scriptis ad  
 omnes Principes ac populos literis di-  
 sertè eiuravit? Iam verò quo pudore  
 contemptum à nobis Henricum tertiu

regem scribere ausus es. Quis enim ne-  
 scit, quæ fuerit nostra de ipso expecta-  
 tio? quis in illo excipiēdo animus? Quæ  
 de publica pace accipiēda, totq; finiē-  
 dis calamitatibus spes nostra fuerit? Sic  
 enim sperare nos omnium voces ipsius  
 que literæ iuebant. Itaq; summo no-  
 strum omnium dolore factum est, vt  
 nobis ad illum tanquam ad cōmunem  
 regem aditus percluderetur, quem & sa-  
 lutare cupidissimè auebamus, & faustis  
 solennibusq; acclamationibus excipe-  
 re. Sed vni tantum, parti addictum fa-  
 uentemque statim sensimus, posteaq;  
 multo magis sumus experti. Statim e-  
 nim sequuta est furiosa illa oppugna-  
 tio Pouzini. Inde arctissima, sed vestris  
 infœlix, Liberonis oppiduli obsidio,  
 quæ res eo magis visæ sunt nostris & dū-  
 ræ & acerbæ, quòd à nouo Rege in ipso  
 statim regni limine & ingressu (vbi om-  
 nia exēplo Davidis pacata esse oportu-  
 it) nihil quicquā tale expectabamus. Et  
 certè improbi illi vestri rerū æstimato-  
 res, qui huiusmodi belli cōsilia Regi de-  
 derunt pessimè regni rebus consulue-  
 runt. Vetus enim & vera illa sententia  
 & potius

& potius tunc suggerenda fuit, leuiter qui ſæuiunt, ſapiunt magis: ſed ad peruertendum Regis animum paucorum iſtorum technæ & lenocinia tantum potuerunt, vt à ſanis conſilijs regē ipſū auerterent, & eam calamitatem quam iam pridem Franciæ meditantur, maturarent. Neque enim illi bonis ſuperſtitibus, ſuperiores ſe vnquam fore exſtimabunt. Itaq; omnia ſuſq; deq; tanquam in peregrina ſibi regione ferri malunt, quàm non vt ſuæ auaritiæ & libidini ipſi obſequantur. Ex quibus omnibus C. Lomani intelligis, quàm iuſtè ſit ſuſcepta à nobis patriæ tuendæ cauſa, quàm iuſta arma, iuſtumque bellum noſtrum ſit, à quo cum te Carpentarius, ad ſe traducere conatur, ex iuſto milite transfugam, è Chriſtiano apoſtatam, qualis ipſe eſt, è ciue proditorem facere te conatur.

Quod autem ad ſecundum Epistolæ caput attinet, in eo ſe ineptiſſimum Conſiliarium demonſtrat Carpentarius: Nam fugam nobis tanquam neceſſariam & decoram conſulit, homo



in iure disciplinaque militari optime versatus. Sed fortasse illud Lacedæmonianorum virorū verè *μαχιμων* & militarium erat oblitus, qui vincere aut mori iuebant: fugere autem nunquam concessum esse voluerunt.

Quod si excipiet Carpentarius se fugam consulere nobis, tanquam Christianis: Primū hoc rectè, quòd nos Christianos esse agnoscit, & confitetur. Sed à quibus fugiendum nobis esse vult? A regijs persecutionibus & persecutorib. Atqui in hoc rursus præuaricator est turpissimus, quia causam, quā defendere suscepit, nefariè pdit. Si enim nobis Christianis à regijs, & à Rege ipso persequente fugiendum est, fuerunt ergo pre te, Carpenteri, manifestissime & Rex & regij Christianorum persequutores. Quo quid in tuos atrocius atque contumeliosius vnquam dici potuit? Vides igitur in quam inuidiam regem ipsum & regios apud bonos omnes, & apud exterarum nationes scripto tuo adduxeris? Quòd si vera sunt, quæ ipse eorum aduocatus scripsisti, & in quibus fides tibi merito haberi debet, certè  
de

de nostra sorte & caussa, Lomani, amplius dubitari non potest, quin ea sit tam honesta, etiam Carpenterio ipso teste, quàm fuit olim veterum Christianorum qui pro nomine Iesu Christi patiebantur. Itaque illud in Carpenterio experimur, quod scribit Plautus, ut imprudens & insciens plus nobis fecerit boni, quàm prudens. Nam dum inter nos nostrosque ageret, nos pro factis habebat, & consilia tantum nostra explorabat: sed nunc dum oppugnat, appellat, non mentiens ille quidē, Christianos, & eam laudem nobis tribuit, quæ maiorem ne optaret quidem pessimus. Sed ea nimirum vis veritatis est, ut ab hostibus etiam suis testimonium ferat. Ergo fugiendum nobis patrijsque sedibus abscedendum est, foro, vrbe, patria cedendum, quia ita fieri oportere censet Carpenterius. Imo potius vanissimi hominis insanum est consiliū. Nota sunt enim hæc, etiam pueris ipsis decantata.

Σοφὴ πρὸς ἀνδρῶς περισσέχου συμβουλία,

Σοφὴ σοφῶν γὰρ γίνεσθαι συμβουλία.

Quid verò, etiam ne ab hoste consiliū

petemus de re tanti momēti: aut ab eo datum sequemur? Non est tutum. Est enim Carpenterius hostis, & quidē infestissimus, eoque fortasse periculiosior, quòd falso religionis Christianæ prætextu sese rursus homo impudens nobis insinuat. Ergo hæ sunt insidiæ, non cōsiliū. Itaque Carpenteri repudiamus. Sed & Christi ipsius, & Augustini dictum affert, qui fugiendum esse censeret. Quid igitur? Etsi periti interpretes perpetuā illam Christi sententiā ad fugam in persecutione accōmodari ostēdunt, tamen, vt sic accipiatur respondeamus hoc quoque loco idem quod superior, & eandem adhibemus distinctionem, nimirum vt priuati quiq; nulla publica auctoritate nituntur ab ijs distinguantur, qui iussu magistratus sequuntur, vt causa Christianæ religionis & dogmatis à publica patriæ tuitione & propugnatione secernatur. Nā si Christianæ fidei veritas tantum ab ijs oppugnaretur, & priuati solum in hac causa essemus, facile nec reluctantes fugeremus, atque cederemus patria. Sed Reipub. ipsius salus à nobis suscepta

pta

praestitum est, iuris publici & patrij autoritas  
 violata vindicatur, publica edictorum  
 vis, Regis etiam ipsius sigillis, & omnium  
 Senatuum consensu confirmata defen-  
 ditur, denique publica non priuata caus-  
 sa agitur, & quae status regni vel om-  
 nes, vel eorum optimam partem auto-  
 rem habet non priuatos. Hanc autem  
 deserere cum Franci, cum ciues, cum in-  
 digenae simus, sine grauissimo prodi-  
 tionis scelere, Carpenteri, nec possu-  
 mus, nec debemus. Nec enim tuis  
 similes sumus, qui infideli homine pe-  
 ior & durior *Quoriam sopyas* amisisti, &  
 dulcissimum illum patriae tuae, id est,  
 Franciae amorem turpis mercedis le-  
 nocinio captus in te omnino, homo  
 impijssimè, extinxisti. Quorum &  
 nim illa tua pernitiiosa vox & senten-  
 tia, per quam peregrinos homines ci-  
 uibus & indigenis in bell. pacisque ad-  
 ministracione praefereudos esse scribis,  
 nisi ut omnium tuorum charitatem  
 iamptidem te deposuisse doceas ho-  
 mo mercenarius & redemptus?  
 Quorsum illud tuum obsecro, plura

maioraque extare peregrinorum ho-  
 minum in Galliam,quam ipsorum Gal-  
 lorum beneficia? Num etiam nobis pe-  
 regrinum regem obtrudere cogitas?  
 Id enim iam à quibusdam vestris tenta-  
 tum est. Nec dubitari potest, quin hæ  
 voces & peregrinitatis laudes ex eorū  
 consilio in vulgus sint à te expansæ, vt  
 quàm latis animis exciperentur, explo-  
 rarent, & inde sibi ad maiora postea au-  
 denda iter compararent. Solet enim  
 vulgi animus ab istis vaftris hominibus  
 varijs modis tentari: ac quidem primū  
 leniter: deinde si prima cœpta feliciter  
 successerint, fortius impelli: denique  
 persuaderi, vt quod postea videbitur  
 magna cum causa, quanquam nouum  
 offerri, recusare iam persuasi non pos-  
 sint. Hæc sunt sat scimus, Carpenteri,  
 astuta peregrinorum hominum, qui  
 nunc pro suo nutu vniuersam Galliam  
 regunt, consilia, hæc artes, hæc peregrini  
 Regis commendandi, obtrudendi-  
 que initia, quæ per te hominem Gallū  
 potius, quàm per seiplos spargi euulga-  
 ri que maluerunt, quo & minus insidio-  
 sa viderentur, & maioris essent apud  
 indige-

indigenas ipsos ponderis. Nec certè  
 quicquam in hoc tam nefario consilio  
 inest quod non peregrinorum istorum  
 atque imprimis Italorum, Franciæ iam  
 dominorum, & dominari in perpetuū  
 cupientium callido ingenio apprimè  
 consentiat, quodque non prudentissi-  
 mè excogitatum videri possit, si modo  
 alium, quàm te, cui fides haberetur, qui  
 que peregrinitatem illorum commen-  
 daret, oratorem patronumque delegis-  
 sent. Neque enim orator esse potes, qui  
 nec sis vir bonus, Carpenteri, nec certè  
 dicendi peritus. Cui autem fidem fa-  
 cies cum sis Apostata? Apud quos cō-  
 mendationem peregrinitas per te obti-  
 nebit, aut tua merebitur oratio? Cer-  
 tè non inter extraneos. Nec enim alio  
 nomine apud eos, nisi scelere defectio-  
 neque tua à Christo, & perfidiæ turpissi-  
 ma participatione nobilitatus es. Non  
 apud indigenas ipsos & ἀνίox, *Jovas*. Vita  
 enim à te turpissimè transacta lippis iā  
 arque tonsoribus nota est, & nullus est  
 hominum in Gallia ordo, quem nō vel  
 lingua tua maledicentissima: vel furtis  
 apertissimis, vel sæuissimis consilijs of-

fenderis. Sed cum te boni illi Itali homines peregrini & rerum, quæ sunt in Gallia Gallis certissimæ notissimæque ignari cōducerent, ut ista scriberes, tua flagitia vitæque fœditatem ignorabāt. Itaque si modò te patronum mutent rectius fortassis istud de laudanda & præferenda ciuibus ipsis peregrinitate consilium illis cesserit. Quòd si non acciderit & quid tētare nocuerit? Sed iam vos appello, Franci, principes, Nobiles Duces, mercatores, sartores, pistores, & omne genus hominū, qui Franci estis tantamne à quoquam Franco homine iniuriā vobis fieri patiemini, ut eo auctore, peregrini vobis, Itali Gallis in media ipsa Gallia, in rerū ad status vestri incolumitatem siue in pace siue in bello pertinentiū administratione præferantur? Adeò ne vobis & stupidi sunt animi & cæca pectora, & robur omne amissum, ut dignitatem nationemque vestram multi aduersus paucos: cines cōtra peregrinos tueri iam nō possitis? Hoc certè est quod isti iam dudū cogitāt, vos sibi prorsus tanquā pecudes subiicere: nos soli quominus id fiat obstat:

ergo

ergo in antiquā virtutē viri excitemini  
 repetite debitas vobis dignitates, & quę  
 tandiu iā oppressa patrię libertas & ma-  
 iestas, eā ab externorū tyrannide vindi-  
 catā pristino splendori restituite. Hoc et  
 auita & vestra virtute dignū est, & omni-  
 no necessariū, ne vobis peregrini in per-  
 petuū tanquā seruis aut pecudibus mu-  
 tis crudelissimē dominētur. Nam quod  
 Christianos fugisse scribit Carpent. tūc  
 factū est cū erant priuati, nō etiā publi-  
 ca iusti magistratus authoritate nitēbā-  
 tur atq; armabātur, id quod nobis feli-  
 cissimē in hac causa accidit, qui ordinū  
 Gallię edicta violata, & publicam maie-  
 statē lęsā, publicis etiā regis edictis man-  
 dantibus vindicamus. Adfert autē Car-  
 pen. tanquā turba nos oppressurus mul-  
 ta christianorū tyrānis cęsorū millia,  
 vt qui nobis ita euenire gaudeat & ex-  
 ptet, sed frustrā. Nostra enim vita est in  
 Dei manu, non in ipsius aut sequissimorū  
 hostiū potestate. Illa verō exempla  
 idcirco ad hoc argumentū nō pertinet:  
 quia publica authoritate, quę vel in v-  
 na statū regni parte, & in vnius prouin-  
 cię præfecto magistratu, & in publicis



edictis antea promulgatis sita est, bella  
 hæc à nobis geruntur. Qui si priuati es-  
 semus, nec omnia ista firmamenta ha-  
 beremus, quæ nostram ab illis conditio-  
 nem causamque distinguerent, nos  
 quoque priscorum Christianorum exem-  
 pla imitati libentissimè patriæ, parenti-  
 bus, focis, bonisque omnibus pro Chri-  
 sti nomine careremus. Sed videndum  
 est ne dum fugiendo martyres Christi  
 imitari videmur velle, patriæ diuiniq;  
 cultus proditores iudicemur & simus.  
 Quid autem si aduersus hoc fugæ con-  
 silium Tertulliani autoritatē & scri-  
 pta obijciam? potius verò sunt à nobis  
 excitandi & euocandi qui securè hodie  
 extra Galliam degentes Galli erga pa-  
 triam officium deserunt, vt illi nobiscū  
 coniuncti communibus viribus tantū  
 hostem à Franciæ ceruicibus fortiter  
 repellamus. Neque enim in tanto tu-  
 multu Gallico otium & immunitas ex  
 veterum Romanorum militari discipli-  
 na, est, inquam, à nobis concedenda.  
 Sed si viros nos præstare velimus, idq;  
 hostes ipsi intellexerunt, facilis nobis  
 victoria de illis parta erit. Illud modo  
 memi-

meminerimus,

*Superando omnis fortuna ferendo est.*

Item & illud,

*Tu ne cede malis, sed contra audentior  
ito*

& fortasse illud erit, Lomani,

*via prima salutis*

*Quod minime reris, Graia pandetur  
ab urbe.*

Restat tertium & vltimum Carpenterianæ criminationis caput, in quo de pace constituenda nouus Regis Consiliarius sententiam dicit, atque fortasse huiusmodi consilium est, vt quia lenitatem animi & patientiam præ se fert Carpenterius, & aliquo communium miseriarum sensu afficitur, videri nonnullis possit pacem inter nos ineundã suadere, minime gentium, Lomani, hoc enim ipsius consilij præcipuum caput est nulla inter regem & subditos ne fundamēta quidem pacis iaci posse. Quos qualesque consiliarios si Rex sibi alciſcat, quid tandem boni & felicitis, quid tranquilli & pacati vnquam in Franciæ regno sperari potest? hanc ne Carpenteri, Ecclesiæ, quæ te aliquando egentem

aluit, mercedem perfoluis, & gratiã re-  
 fers, vt illi nullam quietis spem tuo con-  
 filio relinquis? Atqui vel à prophanis  
 hominibus didicisse debueras pacem  
 quæ modo nihil sit habitura insidiarũ  
 quouis bello esse potiorẽ, & Christum  
 ipsũ, cuius præcepta toties nobis incul-  
 cas, maxime *εὐρηνοποιός*, id est, pacificos  
 homines laudasse, quos quia in beato-  
 rum catalogo recenset, quis dubitat ho-  
 mines à pace alienos, qualem te nunc  
 apertè demõstras, inter damnatos æter-  
 naque morte multandos meritò cense-  
 ri? Sed quæ sit tam crudelis & infelicis  
 consilij ratio audiamus. Turpe erit, ait,  
 publicis tabulis euulgari Gallos, qui re-  
 gi parere vltro & sine cunctatione de-  
 bent, leges & conditiones, quibus sese  
 Regi summittebant, præscripsisse. In  
 quo primum illud omnino simulatum  
 videri potest, quòd se nominis Galli-  
 ci honestæque eorum famæ conser-  
 uandæ tam sollicitum tamque anxi-  
 um iam fingit, quos superiore pagina  
 tanquam in regem ipsum rebelles, per-  
 duelles, & perditos non tantum priua-  
 tim sua sententia damnauit: sed scriptis  
 iam

iam bis editis promulgauit, quasi qui in eos clarigationē (Hanc enim vnā vocem de iure militari sumptam prætermisit Carpenterius ) pronunciaret: qui eos in patriam ingratos & sæuos dixit: qui extraneis in rerum Gallicarum gubernatione postponendos scripsit: qui denique quam peregrinos in Galliam suam animo affectos contendit, potestne, inquam, videri Gallici nominis esse studiosus? Vide iam quam sis polypus, Carpenteri, id est, varius & inconstans, vt qui hīc eorum nomen in cœlū ipsum laudibus efferre, quos antea conuitijs calumnijs que tuis infra imos inferos deiecisti: qui nunc summè diligere te simulas, in quos omnia grauissimi odij iudiciā euouisti. Sed puncturam, quod ex scriptis tuis apparet, vel potius assentatoriam artem vt alias omnes didicisti, vt non minus vultu, gestu, verbisque tuis varias affectuum formas effingere possis, quàm hypocrita & histrio personas: & pictor diuersas rerum imagines, quas etiam ipse tacitus spernit, vel non habet.

Hic nunc vir bonus Carpenterius

& nostri amantissimus scilicet perspicit  
 quanta nostræ Gallicæq; laudi iniuratur  
 in posterum labe & infamia, si cū  
 rege pacem vllis conditionibus pepige-  
 rimus. Sed erras, Pax enim à deditio-  
 ne differt, vti bellum ciuile ab extraneis.  
 In bello ciuili pax omnino necessaria  
 est, quia vtraque Reipub. pars est, quæ  
 non nisi certis æquilq; conditionibus  
 discedere ab armis potest: est enim v-  
 traque tanquam totius & eiusdem cor-  
 poris membrum retinenda: in extra-  
 neis bellis, quæ non cum ciuibus fiunt,  
 fortasse deditio erit suadenda, per quã  
 quis se victoris arbitrio totum permit-  
 tit, nullis legibus nullisque conditioni-  
 bus additis, quia tunc cum peregrino  
 & alieno homine, non cum ciue bellū  
 geritur. Certè ius ipsum ciuile, quod tu  
 Carpenteri profiteris, magnum inter  
 ciuilia peregrinaque bella tum compo-  
 nenda tum etiam gerenda discrimen  
 constituit. Nam quæ in alijs ius victo-  
 ris dici potest, in hoc crudelitas nomi-  
 natur: & quæ noua subiectio, & regni  
 amplificatio in alijs: in hoc alienatorū  
 animorum reconciliatio tantum ap-  
 pellatur

pellatur. Itaque nec triumphi nec trophæa de bellis civilibus ex veteris disciplinæ legibus statui potuerunt, quia omnia lenissimè æquissimeque componi in bello civili debent. Quod quia fieri non poterit, nisi certæ conditiones utrinque proponantur, fateatur Carpentorius necesse est, non nisi certis constitutisque legibus atque æquis pactio- nibus hoc bellum civile vnquam dirimi finiri que posse. Hoc docent exempla Thraiybuli Atheniensium Remp. ex longa ciuium inter se discordia in concordiam conciliantis. Hoc M. T. Ciceronis sapientissimum consilium, qui post C. Cæsaris mortem à diuturnis bellis civilibus in pristinam formã Remp. studuit reuocare. Hæc idem Germanici & ciuilis belli recentia exempla, in quibus omnibus cum sapientissimi viri in consilium adhibiti fuissent, animaduersum est, non nisi certis atque iisdem æquis & probatis utriusque parti conditionibus & legibus à bellis & armis civilibus discedi posse: quas si publicam tranquillitatem diuturnam manere velimus obseruari, nunquam autem vio-

lari oporteat. Ergo non erit turpe, Car-  
 penteri, si certis quibusdam pactio-  
 nibus pax inter nos fiat, non est, inquam,  
 turpe, vel regi ipsi, qui in eo pruden-  
 tissimi fortissimi que Senatus Romani  
 vestigia & consilium sequetur: vel no-  
 bis, qui Atheniensium, Roman. alio-  
 rumque populorum exempla habemus,  
 imprimisque Ephraimitarum Beniami-  
 tarum & reliquarum Israelitici populi  
 tribuum: vel ipsi etiam quod vereris  
 Galliae, quia ita fieri oportere belli ip-  
 sius civilis natura postulat & requirit.  
 At nullum pactum inter regem & sub-  
 ditos iniri & æquo iure posse conten-  
 dunt, sed omnino, aiunt, subditum  
 parere oportet: regem autem impe-  
 rare. In quo hoc primum falsissimum  
 est regem cum subditis contrahere pa-  
 cisci que non posse. Nam quotidie  
 cum privatis subditisque suis contra-  
 hit, non tantum quatenus princeps ali-  
 quis, sed quatenus rex est summus que  
 totius regni magistratus. Quis enim  
 ignorat quanta rex de suo reatu, &  
 quod vocant Dominio alienauerit an-  
 tea & alienet quotidie, id que certis le-  
 gibus

*Judicū. 8.*

*Cap. 22.*

gibus à quibus neutri parti recedere licet? Quod si à rege fides data priuato seruanda est, nisi in turpissimum periurij nomen incidere velit, quanto magis illa quæ vni totius regni parti semel promissa est, & per quam non de vnius priuati hominis commodis, sed totius Reipubl. salute agitur, quæ debet esse regibus semper charissima? Præterea quæ ista est hominum assentatorum ratio & oratio, nullum ius inter regem & subditos commune intercedere posse? itaque nec contractum, quemadmodum nec inter seruum & dominum, quia habet dominus vitæ necisque in seruum suum potestatem. Quasi verò, Carpenteri, par sit subditorum erga principem subiectio, quæ iure ciuili romano miserorum mancipiorum & seruorum aduersus Dominos est constituta, & tamen hîc sanè nimio peregrinis hominibus assentandi studio pro- *Lib. I. Pol*  
 uectus es longius, quàm vel ipsi vellēt, *Et lib. 2.*  
 in quo non tantum ab ijs refutaberis, *Est,*  
 sed etiam ab Aristotele Philosopho sapientissimo, & in varijs subiectionum generib. distinguendis exercitatissimo.



Videvero in quam iam inuidiam reges ipsos apud populum & proprios subditos adducas aut potius trahas, dū hæc apud populos declamas, qui si hoc scriptum tuū tam perniciosum semel legerint vt intelligant, reges omnes in perpetuum à se remouebunt, quorum se tantum esse vilia quædam mancipia, non autem amplius liberos homines quanquam illis certa ratione subditos nolent. Certè nulla vnquam tribunitia vox, nulla turbulenta declamatio, nulla scriptio homines magis ad seditionem commouere potest, quàm hæc tua, quæ planè subditos perterrefacit, quia & libertatem illis & vitam vel sola regis approbatione & electione adimi posse docet. Ergo vllos ne postea sibi esse reges vlla gens, vel natio, vel populus vllus volet & patietur, si quæ scribis vera sunt. Et si tam dura tamque seruilis est subditorum regi hominum conditio, certè neminem in posterum regnare quisquam feret, imprimis autem nobiles animosi que populi non patientur, quibus libertas vita ipsa longe charior est, & quam tu regis potestate semel recepta

pta illis omnino tolli eripiq̄ ue conten-  
 dis. Sed quis vestrorum vel Iurisconsul<sup>fol. 5r</sup>  
 torum, vel Theologorum te tam falsa,  
 quæso, docuit, vt nullum ius inter regē  
 & subditos commune & æquabile esse  
 censeas? Est verò Carpenteri, atque vt  
 iterum dicam, est ius quoddam inter re-  
 ges & subditos commune: nec tantum  
 illud, quod ex iure & more naturali &  
 gentium oritur, sed etiam ex ijs legibus  
 quas quisque populus, cum reges creāt,  
 primum constituit, quod à regibus ip-  
 sis violari non debet, nam certę leges  
 & conditiones datæ sunt quibus & re-  
 gia potestas circumscrip̄ta est, & postea  
 retenta. Nec enim vlli mortales regi  
 in sese infinitam esse potestatem vnquā  
 voluerunt, nec etiam erat æquum, vt  
 idem regi, quod Domino Deo, in ho-  
 mines licere diceretur. Deus enim libe-  
 rē, nulla lege, nulloque addito tempe-  
 ramento, in nos omnes regnat, cuius  
 voluntas semper iustissima est & impe-  
 rium æquissimum: at diuersa est regum  
 hominumque ratio, quorum cum vo-  
 luntas non semper sit iusta, quia homi-  
 nes sunt (multi etiam quemadmodū ait

*1. Pet. 2.* Petrus, sæpè sunt difficiles, multa eorū iussa sæpè iniqua) liberum omnino nulloque pacto aut conditione circumscriptum ius in suos subditos nunquā habuerunt: quanquam verò & iudices

*Psal. 87.*

& reges Dñi in scriptura nominantur. Longa tamen est inter eos & Deum ipsum differentia: & quāuis dicatur populus ius omne suum regi, & in regem lege regia transtulisse: tamen tantæ potestatis concessio non ideo cuiquam facta est, vt ex iusto moderatoque principe & rege aliquis sæuissimus tyrannus inter suos subditos impunè euaderet, vt esset infinita regi potestas. Reges enim iustosque rerum moderatores sibi elegit quisque populus, cū Regem creauit. Itaque certas leges addidit, intra quas potestas illa exerceretur, quas si violat & transgreditur, non iam Rex sed tyrannus appellandus est. Nec verò negat D. Paulus, quin inter Domi-

*Ephes. 6.*

num & seruum ipsum, quamuis vile mancipium ius quoddam commune intercedat, quod multò magis inter Regem & subditos, qui sunt homines liberi, valere debet. Ex quo fit, vt con-

tra

tra quam sentis, Carpenteri, contrahe  
re cum regibus suis, & certis quidem le-  
gibus liceat & sit concessum subditis.  
Imo verò Deus ipse summus & maxi-  
mus rex regum & Dominus dominan-  
tium, cuius in nos imperio nulla cuius-  
quam monarchiæ dominatio confer-  
ri debet, nobiscum foedus se pepigisse  
sæpe testatur, sæpe nobiscum contraxit  
se, quo magis homines ipsi quanquam  
reges intelligant se cum suis subditis  
certis legibus pactisque convenire pos-  
se. Quinetiam illud, Carpenteri, ma-  
ius est, quod non à te prætermis-  
sum est, & tamen nostram causam maxi-  
mè confirmat, nimirum, quod cum  
rege non agimus aliquibus de novis  
legibus sancendis, sed de iam antea  
perlatis, quæ paucorum malitia anti-  
quantur, renouandis & instaurandis,  
vt sua Galliæ libertas & tranquillitas,  
suis honor & splendor suis de-  
nique pristinus reddi restituique pos-  
sit. Nonne hæc ratio æqua est & iu-  
sta postulatio, vt quibus primùm le-  
gibus Reges ipsi regnum à popu-  
lo Galliæ acceperunt, ipsi dem regnare

atque viuere compellantur, & quibus ipsi populi conditionibus eis se sumiserunt parere tenentur. Aequum ius petitur, quod abs te nobis denegari potuisse miror, qui te & conscientiosum, vt vocant, simules, & tantum Iuriconsultum prædices. Quòd autem Carolù regem scribis nunquam nisi cum pulla veste etiã exactum nobiscù foedus pepigisse facilè credimus, quia vestris assentionibus fascinarus vobis non sibi viuebat, & tristissimus tandem rerù euentus apertissimè id demonstrauit. Et fortassis aliquid diceres, si de eo ipso momento ageretur, quo pacis cõditiones conceptæ sunt: sed cum toties totque modis & tam solenni iureiurando post arma à nostris deposita, sancita fuerunt omnium etiam parlamētorum auctoritate pacificationis edicta, quam tantam vim, quemve iustum metum prætexes? Sed clamas ciuitates à nobis reddendas, quia hoc sit summum iustitiæ præceptum, vt ius suum cuique tribuatur. Non rectè iudicas, Carpenteri, qui regnum ciuitatesque ipsas potius regis, quàm totius populi esse arbitraris.

Est

Est enim Resp. populi : est regnum res  
 populi : est ciuitas res populi, cuius ad-  
 ministratio tantum certis legibus regi  
 concessa est, vti rerum gubernatio tu-  
 rori. Quod esse verissimum, satis Gal-  
 lia ipsa nostra patriæq; leges docent, in  
 quibus cautum est, ne liceat Regi re-  
 gni partem vel ciuitatem, imò vel vi-  
 culum vnum sine trium ordinū & sta-  
 tum consensu cuiquam vel indigenæ  
 vel extraneo homini alienare. Itaq; cū  
 patrum nostrorum memoria accidis-  
 set, vt Franciscus Gallorum rex à Caro-  
 lo Cæsare captus, & in Hispaniam tra-  
 ductus, illi ad se è dura illa seruitute re-  
 dimendum Ducatum Burgundiæ de-  
 disset, illiusq; Ducatus ciuitatibus ce-  
 dere vellet, intercesserunt ipsius Bur-  
 gundiæ ordines & status, qui nec Duci-  
 bus nec Regibus vllis concessum vn-  
 quam esse demonstrarunt, vt ciuitates,  
 quæ non sunt ipsorū, sed populi, distra-  
 here, vendere, donare aut permutare  
 nolente, repurganteq; populo possent.  
 Quæ causa cū acerrimè à nostris &  
 Caroli V. legatis in pulcherrimo om-  
 nium Christianarū nationum confes-

su acta esset, pro Burgundionibus contra  
 Cæsarem tandem pronunciatū est  
 & regū potestas quàm arcta sit demon-  
 stratum. Hoc si nescis, Carpenteri, dilce  
 à tuis. Aderant enim, sedebantq; in eo  
 cœtu tanquā iudices, pontificis ipsius  
 Romani legati. Cū sint igitur ciuita-  
 tes ciuium ipsorum non Regis: sint to-  
 tius regni, non vnus tantū: sint sta-  
 tuum ipsorum, aut eorum partis, quid  
 tibi iniquum videri debet, si populus,  
 quod suum est retinet & conseruet?  
 Quanquam ista defensio nobis neces-  
 saria non est: Nec enim nostrorū quis-  
 quam est, qui vllam ciuitatem vel è re-  
 gni totius corpore auulsam, vel regi e-  
 reptam sibi vendicet. Hoc, inquam, Car-  
 penteri, nemo nostrū facere cogita-  
 uit, sed quærenda nimirum aduersus  
 immanes illas vestras lanienas & car-  
 nificinas latibula fuerunt, ex quibus se-  
 se ac patriam iustis omnibus rationi-  
 bus tutarentur. Hęcine verò est præ-  
 dari, & regias ciuitates occupare, ac nō  
 potius vos id ipsum facitis? Itaq; nihil  
 alienum habemus, nostra tantū reti-  
 nemus, vt iam in nobis summa esse iu-  
 stitia:

stitia, in vestris autem summa iniquitas manifestissime appareat. Quòd vero nulla pacis pignora danda & constituenda suades, animi tui temeritatem prodis, quasi abs te obscuro homine consiliũ tantis de rebus petatur. Certè iniquum non est, si quibuscum contrahere licet ab ijs pactorum, conuentorumq; pignora petantur. Est enim pignus tantũ permissionis *σφραγίς*, vt qui polliceri non metuit, nec idem, si modò non sit versipellis & veterator, suæ promissionis pignus & arrhabonem dare non recuset. Nam fiducia illa vestra prima & secunda pax, id est, quæ tota vestrorũ hominum fidei commissa fuerat, quàm leuis & momentanea, imò verò infida pax, & insidiosa fuerit, norunt omnes, & nos etiam nostro malo sumus iam sæpius experti. Quod enim ad tertiam pacem attinet, cuius pignora ciuitates aliquot fuerunt constituta, nisi animi nostri mansuetudine & lenitate perfidissime abusi, & magnis iurifurandi sæpius reperiiti sacramentis contra fas omne à vobis violatis nos decepissetis, easque



fraude & dolo nobis optima quæq; de vobis sperantibus eripuissetis, certè ea diuturnè frueremur. Sed illud est, quod ipse commemoras, pace & bello tanquam moneta vestra vtuntur, & cum commodum est, illa retineant: eadem repudient cum est incommodum. At qui Dominus nomen illud suum sacrosanctum à quoquam accipi in vanum disertissimè vetat, & cum sumptus est, tantam sibi factam iniuriam vlciscitur seuerissimè. Cuius diuinæ vltionis cum multa præclara eaq; vetera exempla habemus, tum illud in primis quod recenter in Gallia vidistis ipsi, quod & vobis ad fidem seruandam, & regibus in posterum ad pacem colendam magno vsui poterit esse & documento, quandoquidem vt est in Psalmis:

*Impio, fallaci, auidòque cedis*

*Fila mors rumpet viridi in iuuenta.*

Quod autem nobis Henrici Regis duplex illud diadema Gallicum nimirum & Polonicum prædicas, iucundum nobis est, libenterq; agnoscimus, Carpenteri, atq; Deum Opt. Max. ex animo precamur, vt illi ipsi & Germanicum  
&


& Hispanicum addat. Denique Monarcham vel ipso Carolo Magno potentio-  
 riorem efficiat, modò ne te tuiq; simi-  
 les, id est, à pacis consilijs alienos, alienos  
 nos prorsus homines sibi habeat, atq;  
 adoptet consiliarios. Quid enim aliud  
 estis, qui tales estis, nisi patriæ ἀλάστορες,  
 & seivissimi non tantū Gallicę nationis,  
 sed totius humani generis certissimę  
 pestes? Nec verò eundē Henricum hu-  
 mani mitisq; ingenij regem esse nega-  
 mus, sed quò minus tam benignū & cle-  
 mentem experiremur, sæva crudeliaq;  
 vestra consilia ad hunc vsq; diem obsti-  
 terunt, quibus quandiu parebit, nec  
 Gallia vestra funestissimis incendijs,  
 nec boni Christianiq; homines acer-  
 bissimis persecutionibus, nec publicę  
 leges audacissimis violatoribus care-  
 bunt. Hoc tantum superest V. C. Lo-  
 mani, vt quando nostrę causę æquitas,  
 quę non tam nostra, quàm totius re-  
 gni omniumq; Gallorum communis  
 causa dicenda est, adhuc tibi probata  
 est: quando nos non priuatę vindictę,  
 sed publici iuris retinendi gratia non  
 bellum suscepisse, sed vim illatam re-

pellere cœpisse intelligis: quando non priuata, sed publica ipsorumq; adeò regnorum edictorum authoritate fretos nos conuenisse vides, non modò in nostro exercitu constantissimè mancas: sed etiam fortissimè aduersus peregrinos homines, aduersus patriæ paricidas, aduersus Gallicæ Reipublicæ & in primis nobilitatis hostes, pugnes, illudque apud te assiduè mediteris, quod res ipsa & istorum consilia verissimum esse confirmant:

*Num verò subuersa iacent cū ciuibus ipsis  
Oppida non vllò restituenda die?*

Vt & Deum ardentius colere, & eius iusta stupendaq; iudicia sanctius admirari possis, vale. Anno Domini 1575, mense  
Maio xxij.

F I N I S .:



Faint, illegible text at the top of the page, possibly a header or introductory paragraph.

Second block of faint, illegible text, appearing as several lines of a letter or document.

Third block of faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a signature or closing.